dicatur de Verbo, ſiquidem huiuſmodi prædicationes abſtractæ verificari nequeunt , niſi propter identitatem prædicari cum ſubiecto , ut ſæpè docet Doctor , quæ inter accidens & Verbum non eſſet ; nec etiam fieri poſſent in concreto, ut modò fiunt , quia ut notat Doctor *3.diſt. 22.* in fine, cùm concreta accidentalia modò ſubiectum concernant ; denominant illud ratione informationis, undè eſſe album iuxtà communem loquendi modum importat albedinem inhærentem , & informantem, & ideò ſola ſuſtentatio, ut inquit Doctor *loc.cit.* non ſufficit ad inducendam denominationem ſaltem in recto , quare reſtat dicendum , quod Verbum ab accidente aſſumpto nequiret denominari , niſi in obliquo , atque ità dici non deberet Verbum album , vel quantum , ſed habens albedinem , vel quantitatem .

256 Quæres , an accidens coniunctum, ideſt , dum actu inhæret ſubiecto, poſſit immediatè uniri Verbo. Communis opinio negat & ratio eſt, quia non poteſt eadem forma ſimul exiſtere per ſe , & in alio, non poteſt idem accidens ſimul habere duplicem eſſendi modum inter ſe contrarios , nempè eſſe in ſubiecto & eſſe per ſe . Cùm enim unio ad ſubſiſtentiam divinam ponatur loco propriæ ſubſiſtentiæ , quam res poterat , ac debeat naturaliter habere ; ſi accidens , dum actu inhæret , non poteſt ſimul habere modum per ſe exiſtendi pariter non poterit participare modum unionis ad ſubſiſtentiam divinam , ità cum communi diſcurrit Averſa *loc.cit.* Sed quamvis hic ſit communis ferè omnium ſenſus , adhuc tamen probabilius poteſt oppoſitum ſuſtineri , & ratio eſt , quia poteſt accidens retinendo unionem informativam cum proprio ſubiecto , ſuſtentari immediatè in Verbo , nam hi ſunt effectus diverſi, & unius eſt ab alio ſeparabilis , ut dictum eſt ; ergo poſſet accidens ſuſtentari à Verbo, & ſimul informare ſubiectum : probatur aſſumptum , quia ut dictum eſt *n.*250. poſſet conſervare Deus accidens in ſubiecto per modum ſimplicis receptionis, & informationis ſine ſuſtentatione , & dependentia ab eo in genere cauſę materialis, eã immediatè ſupplendo in genere cauſæ efficientis, ut concedunt plures ex Adverſariis; ſicut ergo poteſt Deus effectivè ſupplere ſuſtentationem , non tollendo informationem , ita poteſt eam ſupplere terminativè per Verbi ſubſiſtentiam . Nec ratio in oppoſitum urget , quia ſi accidens aſſumeretur à Verbo non diceretur in ſe ſubſiſtere , vel per ſe exiſtere , ſed ſolùm diceretur ſuſtentari a ſuppoſito divino ; & quod frequenter dicitur , unionem ad ſubſiſtentiam divinam poni loco propriæ ſubſiſtentiæ eiuſque vices ſupplere , valdè æquivocum eſt, ut declaravimus *diſp.* 11.*met.q.*4.*n.*116. ſiquidem propria ſubſiſtentia præſertim naturæ tribuit , ut à nullo ſuppoſito extrinſeco actu dependeat , , vel ſit ei communicata!, quod planè præſtare nequit divina ſubsiſtentia, cum ſupponatur natura actu ſuppoſito extrinſeco communicata; & ut advertit Gadiùs *quol.*19.*art.*2. quod communiter dici ſolet , Verbum ſuſtentare naturam humanam nil aliud eſſe , quam ſupplere vicem ſuppoſiti proprii, tamen hoc ipſum nil aliud ſignificat, quàm Verbum terminare unionem naturæ, & naturam uniri illi ſuppoſito; quæ quidem unio vel poteſt per modum perſonationis , ut cùm aſſumitur natura intellectualis : vel per modum ſuppoſitationis , & hypoſtaſeitatis , ut ſi aſſumeretur natura irrationalis : vel tandem per modum ſimplicis ſuſtentationis ſine ratione actus , & potentiæ, ut eſſet in propoſito de accidente, quod ex ſe non eſt natum immediatè ſuppoſitari. Itaque in caſu non diceretur accidens aſſumptum eſſe ſimul, per ſe, & in alio, ſed diceretur eſſe in alio dupliciter nempè in proprio ſubiecto per informationem & inherentiam , & ſimul in ſuppoſito divino per ſimplicem ſuſtentationem , & hunc dicendi modum ſequitur Amicus *diſp.*15.*cit.ſect.*3.

QUÆSTIO OCTAVA.

An plures perſonæ ſimul poſſint aſſumere eandem numero naturam , & una perſonas plures naturas .

257 THomiſtarum Schola , & Recentiorum utrumque affirmat & ex noſtris Baſſolius *3. diſt.*1. *q.*4. & noviſſimè Poncius *diſp.*37.*q.ultima* ; Scotus verò , & Scotiſtæ affirmant quidem poſſe unam perſonam plures ſimul aſſumere naturas ; negant tamen eandem naturam poſſe ſimul à pluribus aſſumi ; itaut ſolum quoad hanc partem verſatur punctus controverſiæ inter Thomiſtas , & Scotiſtas , quæ duplicem poteſt habere ſenſum : primus eſt , an poſſint plures perſonæ eandem naturam immediate aſſumere , ſicut de facto Verbum aſſumpſit : ſecundus eſt an ſaltem mediatè ; ità nimirum, ut eſſentia divina primò ; & immediatè dependentiam naturæ terminaret per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam , qua mediante poſteà dicantur tres perſonæ divinæ terminare , ſicut eſt de relatione creationis ; hic loquimur in in primo ſenſu , nam de ſecundo *q.ſeq.* erit ſermo .

ARTICULUS PRIMUS.

Poteſt una perſona plures aſſumere naturas , non tamen plures Perſonę eandem naturam .

PRima pars concluſionis eſt communis in omni Schola, ut dicebam, quam probat Doctor *3.diſt.*1.*q.*3. quia per unionem unius naturæ ad Verbum terminatur dependentia alterius naturæ, nec eius potentia obedientialis eſt reducta ad actum , nec per unam unionem adæquatur , vel exauritur potentia terminativa Verbi aſſumentis , quia idem terminus plures relationes, & dependentias terminare poteſt , ut patet in creatis . Tùm quia non ob id idem effectus à pluribus cauſis adæquatis dependeret ; neque abſurdum eſt ſimul duas naturas intimè coniungi in eadem perſona : nec perſonalitas Verbi ex natura ſua limitata eſt ad perſonandam unam duntaxat naturam humanam Tùm denique quia in triduo mortis Chriſti Verbum divinum de facto manſit unitum duabus naturis , & ſubſtantiis ſeparatis, ſcilicet, animæ , & corpori : ergo &c.

258 Quod ſi dicas virtutem quoque generativam in Patre eſſe infinitam, & tamen terminari ad unum duntaxat genitum, ſcilicet , Filium : ergo licet perſona divina infinitam habeat terminandi virtutem, nõ poteſt, niſi unam terminare naturam. Negatur conſequentia , & ratio diſparitatis eſt , quia ſi virtus generativa in Patre eſt infinita, Filius, quoque genitus eſt infinitus, ac proindè terminus adæquatus potentiæ generativæ modo ſuperius explicato *n* 216. ex Scoto *quol.* 2. *infrà* P. at independentia Verbi non adæquatur per ſolam terminationem dependentiæ unius naturæ creatæ , quia in infinitum excedit. Dices, perſonalitas Verbi non tantum terminat naturã creatam & finitam, ſed etiam infinitam, ſcilicet , deitatem; ergo nequit ulterius terminare. Negatur rurſus conſequentia , nam aliud eſt terminare intrinſecè ad intrà communicationem naturæ ſibi eſſentialis , & aliud terminare ad extrà communicationem naturæ ſibi adventitiæ : ut enim terminat communicationem divinæ naturæ , habet actum perfectum, & adæquatum, tam intenſivè, quàm extenſivè ſecundum neceſſariam connexionem , & unitatem , ideoque aliam naturam terminare non poteſt , quæ illi ſit eſſentialis : non tamen habet actum perfectum, & adæquatum extenſive ſecundum liberam, & extrinſecam unionem alteri naturæ ; ſic potentia productiva Dei non poteſt iam aliquid aliud ad intrà producere , benè tamen ad extrà; ſic pariter divina voluntas reſpicit divinam eſſentiam, ut obiectum amoris ſecundum neceſſariã habitudinem pro termino adæquato tam intenſivè, quàm extenſivè , & nihilominus ad extrà ſecundum contingentem habitudinem poteſt ſe extendere ad creaturas ; cùm ergo nature iam aſſumpta ſit finita , habeatque cum ea Verbum contingentem connexionem, poterit adhuc terminans illam, terminare ſimul aliam abſque ulla repugnantia ; An verò in eo eventu , quod una perſona plures aſſumeret naturas, verbi gratia humanitates diceretur unus, vel plures homines , iam ſuperius determinatum eſt *q.*3.*art.*5.

259 Altera verò aſſertionis pars , quod nequeat eadem natura ſimul aſſumi à pluribus perſonis , eſt Scoti *3.diſt.*1.*qu.*2. & omnium Scotiſtarum exceptis duobus jam citatis ab initio quæſtionis , eſtò neque Poncius abſolutè oppoſitum afferat , ſed tantum in caſu , quod ità aſſumeretur à qualibet perſona, ut non dependeret ab illius dependentia adæquatã : quod ab Amico deſumpſit *diſp.*14.*ſect.* 6. ubi nobiſcum fatetur in prima concluſione , implicare eandem naturam creatam adæquatè terminatam ab una perſona divina , poſſe ulterius ſubſtantialiter terminari à reliquis : addens poſteà in ſecunda concluſione id non implicare , ſi natura immediatè aſſumpta ponatur ſuſtentari adæquatè ab omnibus perſonis ſimul , inadæquatè verò à ſingulis , quod tamen eſt merum diverticulum , & pura evaſio , ut mox videbimus : noſtram ſententiam ſequuntur Recentiores nonnulli , ut Cardin. de Lugo *diſp.*12. *ſect.*6. Paſqualig. *diſp.* 79. *ſect.* 4. & alii : quam Doctor probat in primis teſtimonio D. Anſelmi *lib.*2. cur Deus homo *cap.* 9. ubi dicit , *plures enim perſonæ nequeunt unum , & eundem hominem aſſumere*, ubi , ut patet, non tantum loquitur de facto , ſed etiam de potentia Dei abſoluta . Nec ſufficit dicere cum Caiet. & aliis Thomiſtis . Anſelmum eſſe locutum de natura humana perſonata , non verò , ut à proprio abſtrahit ſuppoſito . Non valet , inquam , quia natura perſonata , ſeù propriæ perſonalitati coniuncta , nedùm à tribus perſonis ſimul aſſumi nequit , ſed nec etiam ab una ſola , ut etiam ipſi adverſarii concedunt : quia fieri non poteſt : ut natura in ſe ſubſiſtat ſeparatim , & ſimul ſubſiſtat in alio : propria autem perſonalitas facit naturam ſeorſim in ſe ſubſiſtere , & ſeparatim ab omni externa ſubſiſtentia : at divina non facit eam in ſe ſeorſim , ſed in alio ſubſiſtere : ſed Anſelmus ibi , quod negat tribus ſimul perſonis , concedit uni , aliter impertinens fuiſſet negare tribus , quod neque uni convenire poteſt : ergo

ergo loquitur de natura à proprio ſuppoſito abſtracta , & à ſua perſonalitate ſejuncta .

261 Reſp. proindè magis ad rem Suarez , Vaſq. Valentia , & alii Recentiores , D. Anſelmum negare ſolùm , poſſe tres perſonas aſſumere unam humanitatem in unitate perſonæ , ità nimirum , quod eſſent una perſona, quæ doctrina veriſſima eſt, nam in caſu, quo tres perſonæ divinæ eandem aſſumerent humanitatem , ille homo eſſet tres perſonæ, ſicut Deus etiam eſt tres perſonæ; ſiquidem nullo modo poſſunt plures perſonæ convenire ad componẽdam aliam perſonam , & ad conſtituendam unam perſonam ; & hunc eſſe verum ſenſum ab Anſelmo intentum colligunt ex verbis ipſius , quia non abſolutè inquit , plures perſonas non poſſe unum , & eundem hominem aſſumere , ſed addit *in unitate perſonæ*, quæ jam pridem fuit reſponſio Baſſolii noſtri *loc. cit.*

262 Sed quamvis hæc expoſitio magis ad rem videatur, non tamen ſatisfacit , quia cũ ibi diſputet contrà Hæreticos aſſerentes omnes tres perſonas incarnatas fuiſſe, non rectè intuliſſet illam cõſequentiam , ergò neceſſariò in una tantum perſona incarnatio fieri debet, ſic enim arguit, *plures perſonæ nequeunt unum, eundemque hominem aſſumere in unitatem perſonę ; quarè in una perſona tantùm id fieri neceſſe eſt* , non rectè inquam, hanc intuliſſet conſequentiam, quia poterant illi Hæretici reſpondere, quod poſſet fieri aſſumptio ejuſdem naturæ à tribus perſonis , non ad unitatem unius perſonæ, ſed ad ſuas diſtinctas perſonalitates, itaquod tres perſonæ diſtinctæ eandem numero naturam in unitatæ ſuæ perſonæ ſingillatim haberent, non verò unius ſolius perſonæ, ut modò etiam reſpondent Recentiores citati . Addidit igitur Anſelmus illam particulam *in unitate perſonę*, quia intendit negare tres divinas perſonas poſſe ità eundẽ hominem aſſumere ad tres perſonalitates ſuas, ut cum unaquaque ſingillatim unam conſtituat perſonam ; & contendit fieri non poſſe , quod tres perſonæ ſimul aſſumant eandem naturam , niſi tres perſonæ conveniant in unam perſonam , quod omninò impoſſibile eſt ; huncque ſenſum adhuc clarius expreſſit Anſelmus lib. de Incarnat. *c.*4. & 5. ubi eandem habet diſputationem. Neque valet reſponſio Adverſariorum, quod hoc verum eſſet , ſi tres perſonæ eandem aſſumerent naturam ad unitatem unius perſonæ ſolius ; at non ſic aſſumerent , ſed unaquæque ad ſuæ perſonæ unitatem , unde in eo caſu ille homo aſſumptus eſſet tres perſonæ , ſicut Deus modò eſt etiam tres perſonæ . Non inquam, valet, nam præterquam quod ita quoque Hæretici illi poterant reſpondere, unde conſequentia Anſelmi fuiſſet nulla, ut dicebamus; iſta reſponſio in ſe eſt falſa, quoniam ſequeretur ex hoc, quod una , & eadem numero natura creata eſſet tres perſonæ , quod planè fieri nequit ſine ſui partitione, ac diviſione, ut probat Doctor contrà Varronem ; nec valet paritas de Deo aſſumpta, qui modò eſt tres perſonæ, quoniam, ut inquit Anſelmus *loc. cit.* tres divinæ perſonæ non ſunt tres Dii, quia tantum ſunt una res eſſentialis , quę eſt in tribus ſine ulla ſui partitione, ac diviſione , quod de natura creata aſſeri nequit ; quare concludit Anſelmus tres perſonas non poſſe ſimul eandem aſſumere naturam creatam , niſi conveniant in unam , ac eandem perſonam ; quæ ratio plane ineluctabilis eſt pro noſtra ſententia .

263 Et hunc re vera fuiſſe ſenſum D. Anſelmi , non ſolum aſſerit Card. de Lugo , qui hac de cauſa in noſtram ſententiam præſertim inclinat , ſed etiam Arriaga ingenuè fatetur *diſp.* 27. *ſect.* 3. Anſelmum ſtare pro noſtra ſententia *lib. de Incar.cap.*4. ubi valdè conſtanter aſſerit id omninò repugnare , quia diverſas Dei perſonas eſſe unam , eandemque perſonam cum uno , eodemque homine nequit intelligi . Addit verò rationem Anſelmi facere vim in ſolo modo loquendi , quid , ſcilicet , de illis tunc perſonis eſſet dicendum , an eas eſſe unam , vel plures ; Et cùm in ipſo myſterio Trinitatis , non obſtante unitate naturæ , ob pluralitatem tamen perſonarum non dicatur una perſona, ſed tres ; miratur , quod D. Anſelmus ſpecialem invenerit difficultatem in una natura humana aſſumpta à tribus perſonis , conſtat enim ibi non futuram unam perſonam , ſed tres , eo planè modo , quo in divinis . Sed de hoc mirari non debuit , quia ut dicebam , modò Deus eſt tres perſonæ , ſeù tres perſonæ ſunt unus Deus, quia eadem omninò natura eſt in tribus indiviſibiliter , & impartibiliter , quod de natura creata aſſeri nequit , quæ nequit eſſe in tribus, niſi diviſa, & tripartita, & ideò rectè infert Anſelmus fieri non poſſe , quod tres perſonæ ſimul aſſumant eandem naturam , niſi conveniant in unam perſonam , quod eſt prorſus impoſſibile , quæ ſanè Anſelmi ratio , ſi maturè examinetur , eſt ineluctabilis , ut dicebam , pro noſtra ſententia ; Vide Aretinum *3. diſt.*1. *qu.*2. *art.*1. & Centinum *diſput.*8.*cap.*3. ubi referunt totum D. Anſelmi diſcurſum , ex quo clariſſimè ſenſum jam explicatum , eliciunt , qui nullam patitur ex gloſſis ab Adverſariis allatis difficultatem .

264 Secundò probat Doctor ratione ex eo deducta , quod nequeunt eiuſdem effectus dari plures dependentiæ totales ejuſdem rationis etiam de potentia Dei abſoluta , alioquin ſimul dependeret eſſentialiter , & non dependeret ab eodem ; ſed ſi eadem natura à pluribus perſonis ſimul aſſumeretur , haberet ſimul plures dependentias totales , & eiuſdem rationis , ergo &c. Maior latè probata eſt ex profeſsò contrà id negantes *diſput.* 8. *Phyſ. qu.*3. *art.* 2. Minorem probat Doctor , quia licet dependentia naturæ ad ſuppoſitum non ſit eſſentialis , velu i cauſati ad cauſam , eſt tamen eſſentialis, veluti ſuſtentati ad ſuſtentans , quatenus natura ex ſua intrinſeca ratione petit ſubſiſtere , & ſuppoſitari , vel in ſe , vel in alio , ad quod ſufficit unum ſuppoſitum, quia ab uno ſolo totaliter expletur eius indigentia, quã naturaliter habet ad illud , ut ſuſtentetur ; aliter cùm eſt in uno ſuppoſito , haberet inclinationem ad alia , quod eſt falſum .

265 Reſpondent cum Suarez, Caſpenſis, Orlandus , Beccanus, & alii paſſim, quicquid ſit de maiori, negando minorem , quia effectus aſſumptionis non eſt natura ipſa ſecundum eſſe ſuum intrinſecum, cum ſupponatur productũ per aliam antecedentem actionem ab aſſumptione diſtinctam ; ſed eſt unio naturæ cum perſona , à qua recipit natura perſonaliter , & incommunicabiliter ſubſiſtere , non per intrinſecam efficientiam , ſed per intrinſecam terminationem , ſeu dependentiam terminativam; ſi autem tres divinæ perſonæ aſſumerent unam humanitatem , deberent eſſe in humanitate tres hypoſtaticæ uniones , & conſequenter tres terminationes ad tres perſonales ſubſiſtentes realiter diſtinctas , ac proindè tres diſtincti effectus trium diſtinctarum aſſumptionum ſinguli à ſingulis independentes , ſicut independentes ſunt ipſæ perſonalitates in ratione terminandi , cum pateat Filium terminare independenter a Patre , & Spiritu S. Quarè concludunt , quod licet eadem natura terminaretur à pluribus perſonis , non ideò ſequeretur eundem effectum pendere à pluribus cauſis totalibus , ſed potius plures terminationes unius naturæ dependere a pluribus perſonis , hæc enim tria diſtinguenda ſunt , una natura humana terminata, plures perſonæ terminantes , & tandem plures terminationes unius naturæ dependentes à pluribus perſonis terminantibus .

266 Hæc tamen ſolutio vim argumenti non tollit , quia licet verum ſit naturam ſecundum eſſe exiſtentiæ ſibi intrinſecum non eſſe effectum aſſumptionis , cùm præſupponatur productum per antecedentem actionem, dici tamen adhuc debet effectus aſſumptionis quoad eſse ſubſiſtentię , quia per talem aſsumptionem fit ſubſiſtens in divino ſuppoſito , cùm ergo natura quoad hoc eſse ſubſiſtentię eſsentialiter pendeat ſuppoſito aſsumente , quia ex natura ſua eſsentialiter poſtulat in ſe ſubſiſtere , vel in alio , ſequitur tres ſubſiſtentias ſimul recipere non poſse, quia per unam ſolam ſubſiſtentiam fit ſufficienter ſubſiſtens , & totaliter expletur indigentia , quam habet ad ſubſiſtendum , quare ſi alia ſubſiſtentia adveniet , ab ea eſsentialiter non dependeret . Tùm quia licet verum ſit in eo caſu dari tres uniones eiuſdem naturę , vel terminationes ad tres perſonales ſubſiſtentias realiter diſtinctas, atque tres dependentias eiuſdem naturę in ſubſiſtendo, adhuc aſſignari debet ratio , cur illæ dependentię non ſe invicem impediant, hoc enim eſt, quod argumentum directè probat, non poſſe eiuſdem effectus dari plures dependentias totales eiusdem rationis, quia tunc quęlibet eſset eſsentialis, & nõ eſsentialis, quia ſine qualibet ſingillatim ſumpta adhuc totus ille haberetur effectus . Neque valet dicere cum Caietano eſse dependentias alterius rationis , ſicut ſunt termini earum, nempè divinę perſonalitates, quę licet conveniant in communi ratione perſonalitatis , tamen inter ſe differunt, & ſunt alterius rationis , atque ideò natura ad illas non dependeret dependentia eiuſdem rationis. Non valet, inquam, quia licet divinę perſonalitates ſint alterius rationis, non tamen quatenus terminant, ſed potius ſunt eiusdem rationis, quia terminant omnes, & ſingulę ſub ratione perſonalitatis, ſeù hypoſtaſis, & ſub hac ratione ſunt eiusdem rationis, & ſpeciei, quia ratio formalis terminandi talem naturę dependentiam eſt incommunicabilitas perſonę , quę eſt eiusdem rationis in omnibus . Ex eo igitur quod dependentia naturę ad ſuppoſitum eſt dependentia eſsentialis , ſequitur , quod non poſsunt eſſe plures dependentię eiusdem rationis ad plura ſuppoſita in eadem numero natura, nam ſi una eſt ad terminum totaliter terminantem , non relinquit fundamentum dependens dependentia conſimili ad quodcunque aliud , quia tunc non eſset dependentia terminata , qua ratione dicimus non poſse eſse plures filiationes in eodem filio numero , quia tunc dependeret quantum ad ſuum eſse ſubſtantiale eſsentialiter à pluribus cauſis .

267 Sed negat Baſsolius dependentiam naturę ad ſuppoſitum extrinſecum eſse eſsentialem , & inquit eſse reſpectum accidentalem , & extrinſecus advenientem . Et rurſus negat Vaſquez hanc dependentiam naturę ad ſuppoſitum per unam ſubſiſtentiam totaliter terminari , nam natura à Verbo aſsumpta , antequam aſsumeretur , erat aſsumptibilis a Patre , & Spiritus S. ergo etiam & modò, quia aſsumptio ad Filium non evacuat potentiam ad Patrem , quia ſunt diverſę potentię , & una ad actum reducta , non reducitur alia . Hinc negat paritatem de dependentia

dentia naturæ à ſuppoſito, & effectus à cauſa; nam effectus ideò dependet, quia recipit eſſe à cauſa; poſtquam verò ſemel eſſe recipit, non amplius remanet in eo capacitas, per quam ab illa dependere poſſit; at verò natura humana in Verbo perſonaliter ſubſiſtens adhuc retinet capacitatem ad eſſe in tribus perſonis, quia aliis duabus ſucceſſivè uniri poteſt de potentia ordinaria; ergo ad eſſe in tribus ſimul capacitatem habet de potentia Dei abſoluta.

268 Cæterum, quamvis hæc unio naturæ ad Verbum ſit purus reſpectus, & quidem extrinſecus adveniens ex ſuperius dictis, adhuc tamen dicit ordinem dependentiæ eſſentialis in hoc ſenſu, quod natura ſingularis habens talem unionem, eſtò non dependeat ad Verbum quantum ad ſuum eſſe exiſtentiæ, dependet tamen quantum ad eſſe ſubſiſtentiæ: cum enim ex ſe neceſſariò poſtulet ſubſiſtere in ſe, vel in alio, ex quo non eſt ſuppoſitata in proprio ſuppoſito, neceſſariò ſuſtentatur, & ſuppoſitatur in ſuppoſito divino, quando eſt illi unita: ergo eſt relatio realis dicens ordinem eſſentialem ipſius naturæ, ut ſuſtentificatæ ſecundum totum ſuum eſſe ad ſuppoſitum ſuſtentificans; Undè optimè tenet conſequentia Doctoris, quod ſi pluribus ſimul, & ſemel, poſſet uniri ſuppoſitis, dependeret ab illis dependentia ejuſdem rationis, & ſecundum totum ſuum eſſe ſuſtentaretur à ſingulis, & ſic perfectè ab uno, ſicut ab aliis, quia ſecundum totum ſuum eſſe ſuſtentatur in unoquoque ſingillatim ſumpto, itaut tota ejus expleatur capacitas ad ſubſiſtendum, alioquin in uno ſubſiſtens non eſſet ejus capacitas perfectè ſatiata. Et cùm dicebat Vaſq. in natura à Verbo aſſumpta adhuc eſſe capacitatem, ut aſſumatur à Patre, & Spiritu S. hoc ſolùm verum eſt diviſim, non verò conjunctim, in quo ſenſu ſolum movetur hæc quæſtio; undè natura habet potentiæ ſimultatem, non verò potentiam ſimultatis, ſivè hæc potentia ſit una, ſivè multiplex; quo etiam ſenſu in effectu, antequam producatur in rerum natura ab iſta cauſa, erat capacitas, & poſſibilitas, ut produceretur ab alia, nam idem effectus invariatus poteſt eſſe à pluribus cauſis totalibus, non quidem conjunctim, ſed diviſim, ut dictum eſt in Phyſicis; ergo eadem eſt ratio de cauſis efficientibus totalibus reſpectu ejuſdem effectus, & de dependentiis naturæ ad ſuppoſitum.

269 His igitur de cauſis Amicus, & Poncius videntes has, & ſimiles ſolutiones non ſatisfacere Scotico argumento de repugnãtia plurium dependentiarum totalium, & eſſentialium in eodem effectu; aliam evaſionem excogitarunt dicentes argumentum probare duntaxat non poſſe unam, & eandem naturam à pluribus perſonis immediatè aſſumi, itaquod a ſingulis adæquatè dependeat in eodem genere dependentiæ; non probat tamen impoſſibilitatem, ſi alio modo aſſumeretur, hoc eſt, ſi ità aſſumeretur à qualibet, ut non dependeret à ſingulis adæquatè, ſed tantùm inadæquatè, ab omnibus verò ſimul adæquatè; quia ſi dependeret à qualibet tantùm inadæquatè, tolleretur illa contradictio, quam urget argumentum. Quod autem natura ità a pluribus perſonis aſſumi poſſit ſimul, itaut a ſingulis tantùm inadæquatè dependeat, ſuadere nituntur; quemadmodum enim effectus aliquis poteſt aliquando adæquatè ab una cauſa efficiente dependere, quia in alio caſu dependeret tantùm inadæquatè ab illa, ut ſi alia cauſa æquè potens illum producere, ſimul cum altera cauſa applicaretur; ità non poteſt oſtendi repugnantia in hoc, quod natura ità poſſit aſſumi ab una perſona, ut ab ea adæquatè dependeat in ratione ſuſtentativi; Et quod etiam ità poſſit ab ea aſſumi, ut non adæquatè dependeret ab illa, quando, ſcilicet, ſimul aſſumeretur ab alia perſona.

270 Verum quia ſi nihil aliud addatur, hæc eſt manifeſta petitio principii, quia unio naturæ ad ſuppoſitum extrinſecum eſt relatio realis dicens ordinem eſſentialem ipſius naturæ, ut ſuſtentificatæ ſecundum totum ſuum eſſe ad ſuppoſitum ſuſtentificans totum eſſe illius naturæ; ex quo ſequitur, quod ſi ſit in pluribus ſuppoſitis, totaliter, & adæquatè, ſuſtentaretur à ſingulis, & ità perfectè, & completè in uno, ſicut in alio, cum ſecundum totum ſuum eſſe ſit ſuſtentificata ità in uno, ſicut in duobus, ideoque adæquatè ab omnibus, & ſingulis dependeret, non autem inadæquatè. Hinc rurſus declarare conantur quomodo talis inadæquatio, vel inadæquata ſuſtentatio ſit poſſibilis; Poncius ſic declarat, quia ſi poneretur, quod dependentia naturæ à perſona, cui uniretur, conſiſteret in hoc, quod Deus non vellet illam conſervare, niſi intuitu unionis ad aliquam perſonam in ipſa productæ, certum eſt, quod ſi haberet hujuſmodi decretum reſpectu unionis ad unam tantùm perſonam, quod natura dependeret adæquatè ab illa perſona, & quod implicaret ſimul dependere ab alia; Si verò Deus vellet non conſervare, nec producere naturam, niſi cum unione ad tres perſonas, & intuitu talis unionis, certè tunc penderet natura ab unione ad tres illas perſonas, & non dependeret adæquatè ab unione ad ullam ex illis, ſed tantùm inadæquatè; ergò facilè concipi poteſt, quomodo natura poſſet ità aſſumi ab una perſona, ut dependeret adæquatè ab ipſa, & quomodo ità aſſumi poſſet, ut non dependeret, niſi inadæquatè.

271 Hæc tamen explicatio omninò inepta eſt ad propoſitum declarandum, quia unio naturæ cum ſuppoſito, & dependentia, naturæ ab eo in ratione ſuſtentificati, ut ſæpè dictum eſt, reducitur ad genus cauſæ formalis, non quidem per informationem, & intrinſecè, ſed extrinſecè, & per terminationem, quæ Deo non repugnat; hoc autem cauſalitatis genus à Deo ſuppleri non poteſt, nec impediri, nec ex toto, nec ex parte; ergo non poteſt facere decretum, quo velit nec producere, nec conſervare naturam, niſi cum unione ad tres perſonas, itaut inadæquatè à ſingulis dependeat. Confir. & magis declaratur intentum: ſicut quia eſſe album eſt effectus formalis albedinis à Deo inimpedibilis, nequit facere decretum, quo velit albedinem eſſe in ſubiecto, & quod illud non reddat album: ità nequit facere decretum, quo velit plures albedines eſſe in eodem ſubiecto, quod inadæquatè denominetur album à ſingulis, non alia de cauſa, niſi quia concurſus cauſæ formalis ad ſuum effectum præſtandum eſt omninò neceſſarius, itaut nec impediri, nec attemperari, vel dimidiari poteſt, juxtà axioma philoſophicum, in cujus poteſtate non eſt agere, neque etiam eſt modus agendi: ergo ſic pariter in propoſito, quia concurſus ſuppoſiti ad ſuſtinendam, & ſuppoſitandam naturam, cujus dependentiam terminat, non eſt in genere cauſæ efficientis, quia in hoc genere cauſalitatis ſuſtentatur natura aſſumpta à tota Trinitate, & non ab uno ſolo ejus ſuppoſito, ſed in genere cauſæ formalis extrinſecæ, & terminativæ, erit adeò neceſſarius, ut à Deo nec impediri, nec attemperari, vel dimidiari queat: quapropter ſi eadem natura à tribus aſſumeretur ſuppoſitis, a ſingulis dependeret adæquatè in ſua ſuppoſitatione, & non inadæquatè tantum: ideoque ſi Deus vellet facere decretum producendi naturam, & conſervandi eam cum unione ad tres perſonas, intuitu talis unionis: hoc facere non poſset, niſi cum dependentia adæquata à ſingulis in ejus ſuppoſitatione: quod ſi talis adæquata dependentia repugnat, ut concedit Poncius, pariter tale decretum divinum repugnabit.

272 Amicus loco citato aliter rem declarat, & inquit *n.* 112. quod poſſunt omnes divinæ perſonæ ità ſuum concurſum ſuſtentativum attemperare, ut ſingulæ inadæquatè, omnes verò adæquatè ſuſtentent eandem naturam aſſumptam; duplicem quippe effectum confert perſona divina naturæ aſſumptæ, unum formalē; ſeu quaſi formalem communicando ſe ipſam naturæ; alterum ſuſtentativum, quo natura, mediante unione nixa ſuppoſito divino ſuſtentatur, & conſervatur in ſuo eſſe; Etenim cùm natura creata à proprio ſuppoſito non ſolum habeat, ut in genere cauſæ formalis ultimò ab illa ſubſtantialiter terminetur, ſed etiam ut in ſuo proprio eſſe conſervetur; hunc duplicem etiam effectum habet à ſuppoſito divino; atque ex his prior attemperari non poteſt, cùm conſiſtat in ipſa communicatione perſonæ divinæ, quæ ſi ſe communicat, tota ſe communicat; attemperari autem poteſt poſterior, quia non conſiſtit formaliter in ipſa receptione hypoſtaſis divinæ, ſed in quodam niſu, quo natura aſſumpta in ipſa hypoſtaſi divina media unione innititur, & ſuſtentatur; quæ unio cùm poſſit variari, & de adæquata fieri inadæquata, poterit quoque niſus ipſe, quo natura media unione à perſona divina ſuſtentatur, variari.

273 Sed neque hæc explicatio eſt ad rem; neque diſtinctio illius duplicis effectus, quem confert perſona divina naturæ aſſumptæ eſt ſatis idonea; primus quidem effectus non rectè aſſignatur, nam tantùm abeſt, ut Verbum communicari dicatur naturæ aſſumptæ, quod potius res è contra ſe habet, quod natura propriè loquendo dicitur communicari divino ſuppoſito, & hoc dicitur omninò incommunicabile: undè ſuperius diximus, naturam ſuſtentari, dependere, & inniti divino ſuppoſito, aliud non eſſe, quam communicari, *ut quo* tali ſuppoſito; itaut illi ſit ratio eſſendi tale, nempè hominem; quapropter talis unio naturæ vocatur à Scoto unio dependentiæ, ſeù ordinis communicabilis ad incommunicabile, ſeù ſuſtentificati, ad ſuſtentificans; quod enim alicui communicatur, videtur ab eo ſuſtentari; Verbum itaque in Chriſto ſe habet, ut terminans communicationem, & dependentiam naturæ, non verò ut communicatum, & terminatum. Alter etiam effectus minus rectè aſſignatur; licet enim verum ſit naturam creatam à proprio ſuppoſito habere, ut in genere cauſæ formalis ultimò ab illa ſubſtantialiter terminetur, & ſic etiam ab extraneo ſuppoſito illius vicem gerente, quando ei unita fuerit: falſum tamen eſt, quod etiam in ſuo proprio eſſe conſervetur ab eo, quia ut notat Lichetus 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. & cum eo Aretin. ibidem in unione naturæ ad ſuppoſitum non eſt dependentia eſſentialis naturæ quoad ſuum eſſe, & conſervari, quoniam hæc unio præſupponit naturam eſſe, tanquam fundamentum unionis: ſed eſt præcisè dependentia eſſentialis quoad ſuſtentificari, quia ſuſtentatur, & ſuppoſitatur in perſona Verbi, & quantum ad hoc dicitur eſſentialiter dependere ad ſuppoſitum Verbi, & hoc

hoc quidem in genere cauſæ formalis extrinſecæ, & terminativæ modo jam explicato, & in genere cauſæ efficientis à tota Trinitate; Falſum igitur eſt hunc poſteriorem effectum, quem confert Verbum naturæ aſſumptæ, poſſe attemperari, quia cùm ab eo præſtetur in genere formalis cauſæ, nec impediri, nec attẽperari poteſt, nam hæc unio naturæ ad Verbum eſt relatio realis dicens ordinem eſſentialem ipſius naturæ, ut ſuſtentificatæ ſecundum totum ſuum eſſe ad ſuppoſitum ſuſtentificans totum eſſe illius naturæ; unde ſi ſemel ſuſtentificat totam ſuſtentificat, & totaliter.

274 Tùm, quia, ſi verum eſt, quod nuper dicebamus, naturam ſuſtentari, dependere, & inniti Verbo, aliud non eſſe, quàm communicari *ut quo* tali ſuppoſito, itaut ſit illi ratio eſſendi tale, ut planè veriſſimum eſt, quia hæc non eſt vera dependentia à priori, nec vera ſuſtentatio, quia nulla re vera eſt indigentia in natura ſingulari, ut non poſſit naturaliter in ſe exiſtere, ſed in alio petat exiſtere, cùm ſit jam actus completus in genere ſubſtantiæ; ex quo patet error Amici loquentis *loc. cit.* de ſuſtentatione naturæ ſubſtantialis in ſuppoſito, ſicut de ſuſtentatione accidentis in ſubiecto, quæ eſt vera, & propria ſuſtentatio, ut dicit inhærentiam, & inexiſtentiam in alio, ut in externo fulcro, & ſuſtentaculo; Si, inquam, res ità ſe habet, quod hæc ſuſtentatio naturæ in Verbo aliud reipſa non ſit, quàm quod ei communicetur, *ut quo*, & ut ratio eſſendi tale, nempè hominem, jam ſatis patet, quomodo hic effectus attemperari non poſſit, neque dimidiari; quia ſicut natura humana ſe totam per hanc unionem communicat Verbo, ita pariter Verbum totam illam communicationem terminat, atque totaliter, quæ quidem terminatio ex parte Verbi dicitur ſuſtentatio, atque ſuppoſitatio.

ARTICULUS SESUNDUS.

Aliæ rationes Doctoris promoventur ad idem.

275 TErtiò, aliam rationem adducit Doctor *loc. cit.* pro noſtra ſententia, quæ à nonnullis Scotiſtis diſſimulatur, & prætéritur, ut invalida, cùm tamen ſit efficaciſſima, quandoquidem, ſi benè examinetur, eſt ipſiſſima ratio D. Anſel. jam allata *n.* 263. quæ ſic efformari poteſt; quod arguit infinitatem non poteſt communicari naturæ creatæ, & finitæ; ſed poſſe eſſe in pluribus ſuppoſitis ſimul arguit in natura infinitatem; ergo, &c. Major patet, probatur minor, primò quia communiter ſentiunt omnes ideò divinam eſſentiam unam numero eſſe in tribus divinis ſuppoſitis ſine ulla ſui partitione, vel diviſione, quia eſt infinita. Deindè, quia qua ratione poſſet illa natura ſingularis eſſe in tribus perſonis ſimul, & ſemel poſſet etiam eſſe in infinitis perſonis, & ſic eſſet infinita; quæ conſequentia probatur iiſdem rationibus, quibus probatum eſt *diſp.* 5. *Phyſ. quæſt.* 7. *art.* 2. non poſſe eandem formam etiam per potentiam Dei abſolutam plures perficere, & informare materias ſibi adæquatas ſimul, & ſemel in infinitum, quia tunc eſſet illimitata.

276 Reſp. negando minorem; ad primam probationem dicitur aliqui, quod eſſe in tribus ex vi propriæ naturæ, & abſq; ulla elevatione miraculoſa, arguit infinitatem in natura; ſecus ſi hoc fiat per elevationem, ut contingeret in natura creata à tribus aſſumpta; ità Cajet. Suarez, Baldius, & alii. Sed minor viros doctos huic reſponſioni acquieſcere, nam eadem ratione probari poſſet Deum communicare poſſe creaturæ omnipotentiam, immenſitatem, æternitatem, ac deniq; omnia ſua attributa per elevationem miraculoſam, dicendo quod hæc Deo conveniunt ex vi propiæ naturæ, & abſque ulla elevatione, creaturæ verò per elevationé, & divinam potentiam; ſicut ergo hæc attributa nequeunt creaturæ communicari, quia ſunt proprietates divinæ naturæ in ejus infinitate radicatæ; ità næque per divinam potentiam poteſt naturę creatæ convenire per ullam elevationem, quod communicetur pluribus ſuppoſitis, ſimul eadem numero ſine ulla ſui partitione, ac diviſione, quia hæc communicabilitas eſt propria ſolius divinæ naturæ in ejus infinitate radicata.

277 Reſpondent alii, ut Argentinas, Suarez, & Vaſquez, quod divina eſſentia non concluditur eſſe infinita ex eo, quod ſit in tribus præcisè, ſed quia cum hoc eſt eadem realiter ipſis perſonis ex ſua propria natura, & natura creata non eſſet eadem illis, ſed adventitia, quæ fuit reſponſio Varronis ab ipſo Scoto relata, & confutata. Nam falſum eſt, quod eſſentia divina non concludatur ſufficienter eſſe infinita ex eo præcisè, quod eadem numero ſit in tribus ſuppoſitis ſine ſui partitione, & diviſione; nam ſi quæratur, quarè divina eſſentia communicatur pluribus ſuppoſitis realiter diſtinctis ſine ſui diviſione, & nulli creatæ quantumvis perfectæ id convenire poteſt; planè nil aliud reſponderi poteſt, niſi quia illa eſt infinita, hæc verò finita, ut dicitur in Tractatu de Santiſs. Trinitate. Tùm quia ideò natura divina eſt eadem realiter tribus divinis perſonis, quia eſt eadem numero in illis tribus ſine ulla partitione, & diviſione; ſic enim docet Anſelmus *loc. cit. c.* 3. quod tres perſonæ non ſunt tres Dii, quamvis ſint tres perſonæ, quia tantùm ſunt una res eſſentialis eis realiter identificata, & eſt in illis ſine ulla ſui partitione, & diviſione; ergo ſi natura creata eſſet eodem modo in pluribus perſonis, eſſet pariter illis identificata, ac conſequenter infinita, qua ratione negat ibi D. Anſelmus potuiſſe tres perſonas eandem naturam creatam aſſumere, ex quo patet hanc Scoti rationem cum illa Anſelmi coincidere, ut dicebam. Tùm tandem, quia quandò etiam divina eſſentia per impoſſibile non eſſet idem tribus divinis perſonis, & adhuc eſſet illis eadem numero communicata ſine ſui diviſione, eſſet tamen, ſicut modò eſt, infinita, quia modò non habet infinitatem à ſuppoſitis, quibus eſt idem, ſed potius ipſis tribuit infinitatem, non ergo dicitur eſſentia divina infinita præcisè ex eo, quod eſt identificata illis, ſed quia eſt una numero illis, & ſine ſui diviſione, atque ità pariter ſi natura creata eſſet in tribus, licet non eſſet idem cum illis, adhuc eſſet infinita ex hoc ſolo, quod eſſet una numero in illis.

278 Ad ſecundam probationem minoris argumenti principalis, quod ſi una natura poſſet terminari pluſquam ab una perſona, poſſet etiam terminari ab infinitis, cùm non ſit major ratio duarum, quàm infinitarum, ac proinde eſſet infinita, & illimitata, concedunt aliqui primam conſequentiam, ſed negant ſecundam, quod eſſet infinita, quia non datur de facto talis perſonarum infinitas, à quibus terminari poſſit, ità Orlandus *tract.* 1. *diſp.* 6. *qu.* 6. Sed ſi hæc reſponſio valeret, non bene argueremus infinitam virtutem in Deo ex hoc, quod poteſt producere infinitas creaturas, quia diceretur talem creaturarum infinitatem à parte rei dari non poſſe, quod tamen eſt falſum, quia omnes concedunt ex hoc argui infinitatem divinæ omnipotentiæ. Tum quia licet repugnet infinitas perſonarum cathegorematica, & in actu, non tamen repugnat ſincathegorematica, & in potentia, ſicut ergo hæc ſufficit ad arguendam virtutem infinitam in Deo productivam, ità ſufficienter argueretur infinitas in natura creata ex hoc, quod eadem numero poſſet eſſe in pluribus, & pluribus perſonis in infinitum ſimul, & ſemel, quæ conſequentia probatur per maximam Scoti 2. *diſt.* 3. *q.* 10. *A.* ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, quod æquè procedit de pluralitate infinita cathegorematicè, ac ſincathegorematice, ut oſtendi *diſp.* 5. *Phyſ. cit. q.* 7. *art.* 2.

279 Reſpondent, quod licet, quando natura eſt in proprio ſuppoſito, det illi perfectionem, & dicat totum eſſe perfectionale ipſius, non tamen ità eſt, quando terminatur ad alienum ſuppoſitum, quia illud præhabet aliam naturam, quæ eſt ſibi eſſentialis, alia verò eſt ſibi adventitia, quod evidenter patet modò in divino ſuppoſito, cui humanitas aſſumptam nullam confert perfectionem. Sed contra, quia quando aliqua natura in ſe nata eſt eſſe perfectio plurium, & totalis, quamvis ſit illi adventitia, ita quod actu non dicatur perfectio eorum eſſentialis, quia præhabent aliam naturam, hinc tamen non ſequitur naturam illam eſſe in ſe minus perfectam, nam & eſſentia divina, quæ nata eſt eſſe perfectio trium ſuppoſitorum, ſi in uno tantum poneretur, non ob id minus perfecta eſſet, ergo pariter ſi natur ſingularis creata poſſet in infinitis ſuppoſitis, vel finitis in infinitum ſuppoſitari proprias naturas includentibus, adhuc eſſet infinitę profectionis, quia quantum eſt ex ſe nata eſſet eſſe perfectio eorum eſſentialis. Tùm quia quod humanitas à Verbo aſſumpta non det illi perfectionem, hoc ſibi accidit, quia illud ſuppoſitum a tali natura non eſt natum ſuſcipere perfectionem, at ſi comparetur natura ſingularis ad ſuppoſita ejuſdem naturę, ſi ipſa actu exiſtens poſſet ſimul eſſe, in illis, eſſet nata ex ſe dare illis pluribus perfectionem ſimul, & ſi infinitis poſset ſimul dare eſſe, vel finitis in infinitum, eſset formaliter infinita, quia ut ſic ſuppleret vicem infinitarum naturarum ſingularium, & per conſequens eſſet formaliter infinita, ut in ſimili deduco de forma, ſi plures materias ſibi adęquatas ſimul informare poſset *loc. cit.* in Phyſica.

280 Quartò arguit Doctor, ſi natura creata poſset ſimul habere plures perſonalitates perfectas increatas, igitur poſſet habere ſimul perſonalitatem propriam creatam, & alienam increatam, vel plures creatas, quia non magis repugnant ſimul eſſe perſonalitas creata, & increata in natura una, quàm duę perſonalitates increatę, quarum utraque perfectè ſupplet vicem perſonalitatis createę. Vult dicere Doctor, quod ſi natura ſemel terminata ab una perſona divina poteſt iterum aſsumi ab altera per diſtinctam unionem, ergo pariter natura terminata propria perſonalitate, poterit iterum terminari à perſona divina, vel alia creata, nam ſi eadem natura poteſt terminari à duabus perſonis alienis, poterit etiam ab una propria, & altera aliena, non quod perſonalitas ipſa aſsumatur, quia cùm ipſa ſit ultimus terminus naturę, non poteſt ulterius hypoſtaticè terminari, ſed in hoc ſenſu, quod natura terminata propria perſonalitate poſſit aſsumi pręcisè, itaut ipſa ſola aſsamatur, & non perſonalitas.

Reſpon-

281 Reſpondet Suarez *diſp.14.ſect.1.* negando conſequentiam cum probatione, quia non eſt ſimile de natura ſuppoſitata in proprio ſuppoſito, & de natura ſuppoſitata in ſuppoſito alieno, quia natura ſuppoſitata in proprio ſuppoſito non poteſt aſſumi, nec ab altero ſuppoſito ejuſdem naturæ, nec à ſuppoſito alterius naturæ; ut verò ſuppoſitata eſt in ſuppoſito alieno, non repugnat ſibi aſſumi ab altero ſuppoſito, ratio eſt, quia propria ſubſiſtentia eſt quidam modus per ſe, & in ſe ſubſiſtendi, at quælibet ſubſiſtentia aliena eſt modus exiſtendi in alio; eſſe verò per ſe, & eſſe in alio ſunt modi ità repugnantes inter ſe, ut unus proximè includat negationem alterius; quod explicat exemplo accidentis, nam idem accidens non poteſt ſimul per ſe eſſe, & alteri inhærere; & ex hoc ſumitur differentia, cur eadem natura poſſit eſſe ſimul in duobus ſuppoſitis extrinſecis, & non in proprio, & alieno, quia magis repugnant inter ſe modus exiſtendi per ſe, & in alio, quam duo modi exiſtendi in alio, quia illi duo modi ità ſe habent, ut unus includat negationem alterius, iſti verò minimè; atque ità non ſequitur, quod ſi una natura poſſit habere plures perſonalitates perfectas increatas, quod poſſit pariter habere perſonalitatem propriam creatam, & aliam increatam, vel creatam.

282 Gallus *3. diſt.1.q.2. art.1. cap.1.* ait hoc reſponſum eſſe ſatis leve, nam dici poſſet, ſubſiſtere in ſe de facto importare negationem ſubſiſtendi in alio, quia Deus ita ſtatuit, ut unica ſubſiſtentia natura ſubſiſtat; & ex eo, quod univerſaliter evenit, deſumpta eſt illa definitio ſuppoſiti, quod per ſe ſubſiſtit. Cæterum, ſi Deus faceret naturam in ſe ſubſiſtentem, in alio putà Verbo terminari, & ſubſiſtere, non ſequitur negatio illa; ſed tantùm verum erit, quod natura ſubſiſtit in ſe, & per ſe ratione propriæ ſubſiſtentiæ; non tamen excluderetur ſubſiſtentia in alio. Sed ſi hæc inſtantia valeret, nulla rerum definitio eſſentialis ſubſiſteret, dicere ſiquidem poſſemus hominem v. g. eſſe animal rationale, quia Deus ità ſtatuit, & ex eo quod univerſaliter, & regulariter evenit ſumptam eſſe illam hominis definitionem, quod ſit animal rationale; Et quidem eſt communis omnium ſenſus, quod perſonalitas creata duo eſſentialiter habeat; primum quod ſit terminus incommunicabilis, ſeù incommunicabiliter terminans naturam creatam, cujus eſt perſonalitas. Alterum, quod eſſentialiter ſit ratio, quæ facit naturam creatam, quam terminat ſeorſim exiſtere in ſe, & ſeparatim ab omni ſubſtantia extranea; & hoc præſertim verum eſt in ſententia noſtra, ſubſiſtentiam formaliter explicante per negationem unionis naturæ ad alienum ſuppoſitum: ex quo ſic arguitur: impoſſibile eſt naturam creatam exiſtere ſeparatim ab omni ſubſtantia extranea, & ſimul unitam eſſe cum ſubſtantia extranea: ergo impoſſibile eſt exiſtere cum propria perſonalitate, & ſimul unitam eſſe cum alieno ſuppoſito, nam hi duo modi exiſtendi invicem repugnant: ergo ex hoc capite illa reſponſio vera doctrina.

283 Ex alio igitur capite ea reſponſio refellenda eſt, quia nimirum quælibet ſubſiſtentia reddit naturam ſuppoſitatam, & conſequenter incommunicabilem, ut quo, & ut quod in ſenſu compoſito, quæ eſt ratio eſſentialis ſuppoſiti, ut ſic; ergo quælibet ſubſiſtentia cum qualibet alia habet ſpecialem repugnantiam, ſivè ſit propria illius naturæ, ſivè aliena. Confirmatur, & magis declaratur propoſitum, quia natura perſonata ideò eſt inaſſumptibilis, quia eſt incommunicabilis alteri ſuppoſito; ad hoc autem impertinens eſt omninò, quod perſonalitas ſit propria, vel aliena, quia à qualibet habet, quod ſit alteri incommunicabilis in ſenſu compoſito, natura enim ſuppoſitata in ſuppoſito Verbi eſt perfectè perſonata perſonalitate Verbi; cùm ergo perſonalitas Verbi faciat totum id, quod faceret perſonalitas creata, ſi adeſſet, quantum ad terminandam naturæ dependentiam, & communicationem, planè faceret illam incommunicabilem alteri, ut quo, atque ità repugnat ei, ut ſic perſonatæ, alteri communicari; Et hæc eſt ipſiſſima probatio conſequentiæ principalis argumenti, quam facit Doctor; cum enim ſuppoſitum Verbi, inquit ipſe, perfectè ſuppleat vicem ſuppoſiti creati, ſequitur quod ità repugnet naturæ in Verbo ſuppoſitatæ alteri ſuppoſito communicari, ſicut ſi exiſteret in proprio ſuppoſito, & ſub propria ſubſiſtentia; & quod ità adæquatè terminetur ejus dependentia ab aliena perſonalitate, ſicut à propria: ſi ergò eſt contradictio, quod natura ſit ſimul in ſe, & in alio, pariter contradictio erit, quod ſit per ſe tota, & totaliter in una perſona, ac etiam totaliter in alia.

284 Deindè data ea reſponſione ſequeretur, quod ſaltem poſſet natura humana ſubſiſtere de potentia Dei duabus propriis ſubſiſtentiis, quia illæ talem non habent repugnantiam inter ſe, qualem habent una ſubſiſtentia propria, & altera aliena, nam eſſe per ſe dicit tantùm negationem exiſtendi in alio; ergo non abnuet natura plures proprias ſubſiſtentias, quia ſemper erit in ſe, atque ita non ſequitur illa contradictio. Hoc gratis concedunt Suarez, Arriaga, Amicus, ac etiam Lugo ipſe, quamvis nobiſcum ſentiat in hac quæſtione. Quem P. Bellutus Collega meus revincere contendit illa eadem ratione, quia ille movetur ab amplectendam Scoti ſententiam; ait enim, ideò repugnare eandem naturam terminari à duobus ſuppoſitis, quia terminari eſt ibi ſiſtere, & non progredi ulterius; ergo ſi terminatur in hoc ſuppoſito Verbi, non poteſt terminari in alio ſuppoſito Spiritus S. quia affert ſecum in terminis virtualem contradictionem. Eodem modo arguit Bellutus, terminari eſt ibi ſiſtere, ac ulterius non progredi; ergo ſi hæc humanitas terminatur in ſuppoſito Petri v. g. non poterit terminari in ſuppoſito Pauli; tam enim ulterius dicitur progredi natura, ſi terminatur ab alio ſuppoſito humano, quam ſi ab Angelico, licet magis dicatur progredi ob terminationem iſtius quàm illius, ſicut tam progreditur limites Regni, qui per unum miliare exit, quam ſi per duo milliaria. Verùm, pace tanti amici, intentum aſſequi mihi non videtur, quia hic ſermo eſt de pluribus ſubſtantiis propriis, hoc eſt de duplici modo ſubſiſtendi, quo conſervetur natura in duplici propria perſona: at dato quod humanitas Petri ſimul terminetur à ſuppoſito Pauli, ut ipſe arguit, non amplius ſumus in caſu de pluribus ſubſiſtentiis proprii, ſed una propria, & altera aliena: Paulus enim, quamvis non ſit ſuppoſitum alterius naturæ, eſt tamen diverſum ſuppoſitum à Petro in eadem natura humana: Undè hallucinatus eſt in hoc carus Amicus, quod ſubſiſtentias ejusdem naturæ v. g. humanæ accepit omnes pro ſubſiſtentiis propriis, quod tamen falſum eſt, quia conſtituunt plures perſonas diverſas, licet ſub eadem ſpecie natura.

Itaque quod neque natura pluribus poſſit propriis ſubſiſten- 285
tiis terminari etiam de potentia Dei abſoluta, accipiendo propriam ſubſiſtentiam, prout excludit alienam, tam ejusdem, quam alterius naturæ, probandum eſt ſecunda ratione ſuperius adducta, quod ejusdem effectus dari nequeunt plures cauſæ totales, qua etiam utitur Vaſq. *diſp.33.c.2.* nam ſi unus modus faceret ipſam eſſe per ſe, alius nihil faceret, neque aliquid conduceret ad hunc effectum, quarè ſupervacaneus eſſet, ac proindè impoſſibilis. Nec ſuffragatur, quod inquit Amicus *diſp.15.ſect.5. & 6.* per hoc probari tantùm non poſſe naturam creatam ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis propriis, & naturalibus adæquatis, non autem partialibus, & inadæquatis, quia in hoc caſu tunc quælibet partialiter concurrent ad conſervandam naturam. Nam, ut conſtat ex dictis *n.273.* falſum eſt naturam in ſuo eſſe conſervari à proprio ſuppoſito, quaſi in ejus influat exiſtentiam, & concurſus, quem preſtat ſubſiſtentia ad terminandam naturæ dependentiam eſt, in genere cauſæ formalis, qui nec impediri, nec minorari, vel dimidiari poteſt, ut inquit Amicus.

Reſpondet proindè alii ad principale argumentum gratis con- 286
cedendo illam conſequentiam, quod poſſet pariter natura habere perſonalitatem propriam creatam, & alienam increatam, vel creatam; ita Hurtad. Bernal, Arriaga, & alii, quia ſimul de facto natura divina terminatur tribus diſtinctis perſonalitatibus; ergo ex conceptu ſubſiſtentiæ non repugnat eandem naturam duplici ſubſiſtentia terminari; ergo etiamſi humanitas terminetur ſubſiſtentia propria, poterit ſimul, & divina; non enim apparet, cur ex conceptu ſubſiſtentiæ ſpecialiter oriatur in hoc puncto repugnantia ulla in ordine ad potentiam abſolutam.

Sed planè conſtat ex dictis manifeſta repugnantia, & præſertim in noſtra ſententia de negativo, quia effectus propriæ ſubſiſtentiæ, eſt reddere naturam in ſe ſubſiſtentem, & alteri non communicatam, ſeù incommunicabilem, ut quo, & ut quod; quapropter dato caſu, quod natura haberet ſimul perſonalitatem propriam, & alienam, ſubſiſteret in ſe, & non in ſe, eſſet, & non eſſet ſimul alteri communicata, quæ eſt manifeſta contradictio, quam non ſuperat quicquid dicit Arriaga *diſp.27.ſect.1. & 2.* ut legenti conſtabit. Et quidem eſt manifeſta diſparitas de natura creata, & divina, quia natura creata eſt ens finitum, limitatum, & depende à ſuppoſito, & uno duntaxat modo communicabilis per unam numero dependentiam, & ideò ab uno tantùm ſuppoſito adæquatur ejus capacitas tam intenſivè, quam extenſivè; at natura divina triplici modo communicabilis eſt cum ſumma indentitate reali citrà omnem potentialitatem, primò à ſe, ſecundò ab alio per intellectum, tertiò ab utroque per voluntatem, & hanc triplicem habet communicabilitatem propter ſui illimitationem, & infinitam fæcunditatem, & ex plenitudine ſuæ infinitæ perfectionis, non autem ex indigentia, aut dependentia, quam habeat ad ſuppoſitum; Et rurſus ejus triplex prædicta communicabilitas ità à tribus divinis ſuppoſitis intenſivè, & extenſive terminata eſt, ut nequeant plures perſonæ divinæ ſimul terminare eumdem modum ſuæ communicabilitatis ex tribus explicatis; undè quamvis plures ſubſiſtentiæ in eadem divina natura non repugnent, repugnant tamen ſub uno, & eodem modo communicabilitatis; Quamvis ergo ex conceptu ſubſiſtentiæ, ut ſic, non repugnet eandem naturam dupl.ci ſubſiſtentia terminari, repugnat tamen ex conceptu ſubſiſtentiæ creatæ, ut ſic, & ex parte naturæ creatæ, quæ uno duntaxat modo communicabilis eſt per unam numero depen-

dentiam, quæ proindè ab uno duntaxat ſuppoſito, ſivè creato, ſivè increato adæquatè terminatur, tam intenſivè, quàm extenſivè; Imò ob perfectionem, & excellentiam divini ſuppoſiti, ſi adequatè à proprio ſuppoſito terminatur dependentia, & capacitas naturæ, tantò magis adæquatè terminari debet à divino tam intenſivè, quàm extenſivè, in quantùm divina perſonalitas eſt poſitiva, pleniſſima, completa, & totalis per eſſentiam.

287 Quintò tandem noſtram ſententiam probat Cardinalis de Lugo, quia licet ſubſiſtentia aliena non ità terminet naturam, ut faciat illam per ſe ſubſiſtentem, facit tamen illam ſubſiſtentem in tali ſuppoſito alieno, ſicut ſubſiſtentia propria facit naturam ſubſiſtentem in ſe; ſubſiſtere autem humanitatem in Verbi ſuppoſito eſt ſiſtere, & terminari humanitatem, non quidem in ſe, ſed in illo ſuppoſito alieno; ergo non poſſet ſimul terminari ab alio ſuppoſito; probatur conſequentia, quia ſicut repugnat terminari in ſe, & in alio; ſic etiam repugnat terminari in ſuppoſito Verbi, & terminari in alieno ſuppoſito Spiritus Sancti; terminari enim eſt ſiſtere ibi, & non progredi ulterius; ergo ſi terminatur in hoc ſuppoſito Verbi, non poteſt terminari in alio ſuppoſito Spiritus Sancti, quia affert ſecum in terminis virtualem contradictionem. Quæ quidem ratio adhuc magis urget tenendo ſententiam, quod ſubſiſtentia in negatione conſiſtat duplicis communicationis actualis, & aptitudinalis, ut notavimus *diſp.11. met. quæſt.3. num.46.* cùm enim hic ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ, eo ipſo, quod natura eſt per unam ſubſiſtentiam terminata, redditur amplius interminabilis, ſeù incommunicabilis; quarè ſi aſſumatur ab una perſona divina, non poterit ſimul ab aliis terminari.

288 Reſpondet Averſa naturam reddi interminabilem, & incommunicabilem formaliter, ut ſubſiſtens eſt, ſcilicet, ut ipſa natura, & ſubſiſtentia ſimul non poſſit amplius terminari; At verò quod eadem natura in ſe præcisè ſpectata poſſit etiam per aliam ſubſiſtentiam terminari, non tollitur per primam ſubſiſtentiam, ſi quidem de facto natura divina prețer ſubſiſtentiam primę perſonæ alias duas habet. Sed contrà, quia per præcedentem rationem ſolidè probatum eſt, naturam propria perſonalitate terminatam nec præcisè ſumptam aſſumi poſſe, itaut ipſa ſola aſſumatur, & non perſonalitas ob manifeſtam contradictionem, quæ indè ſequitur, quia propria perſonalitas facit eam in ſe ſeorſim ſubſiſtere, aliena verò facit eam non in ſe, ſed in alio ſubſiſtere; non poteſt autem fieri, ut natura ſubſiſtat in ſe ſeparatim, & ſimul ſubſiſtat in alio; Quam rationem proportione ſervata modò extendimus etiam ad alienam ſubſiſtentiam; cùm enim naturam ſubſiſtere in ſe, vel in alieno ſuppoſito ſit ibi ſiſtere, ut non progrediatur ulterius, ideſt, ut non communicetur, vel communicabilis ſit alteri ſuppoſito; planè per unam ſubſiſtentiam tollitur, quin ſimul ab alia terminari poſſit, quia tunc in prima non ſiſteret, ſed ulterius progrederetur. Quod autem de facto divina natura præter ſubſiſtentiam primæ perſonę alias duas habeat, jam diximus ex infinita ejus fæcunditate oriri, ac plenitudine perfectionis; & ſi hæc paritas de divina natura, quam adeò frequenter urgent Adverſarii, valeret, etiam deduci deberet, quod poſſit natura creata per Dei potentiam ſubſiſtere in tribus perſonis in omnimoda identitate cum illis, ſic enim modò ſubſiſtit in tribus divina natura.

289 Reſpondet præterea ad idem argumentum Orlandus negando conſequentiam cum probatione, quia ſiſtere, & ulterius non progredi ſolùm dicit, quod non indigeat alio, ut ſubſiſtat, quod verum eſt; non tamen dicit, quod non poſſit de potentia abſoluta ulterius progredi, & adhuc ſubſiſtere per alteram ſubſiſtentiam. Sed Contrà, quia per ſubſiſtentiam ita terminatur dependentia, & communicatio naturæ, ut non ſolùm non indigeat alio, ut ſubſiſtat, ſed redditur omninò alteri incommunicabilis, & ab alio interminabilis ſimul, & conjunctim, licet ſit terminabilis diviſim, & ſucceſſivè ab alia ſubſiſtentia primum dimittendo, quandoquidem ille ſit formalis effectus ſubſiſtentiæ, tam propriæ quàm alienæ vicem gerentis propriæ. Tùm quia, urget etiam inſtantia, quam Auctor ille ſibi obiicit, nec ſufficienter ſolvit; aut enim tota dependentia illius naturæ totaliter terminatur per primam perſonalitatem, aut una pars per unam perſonam, & alia per aliam; ſi primum, ergo non poteſt ulterius terminari per aliam; ſi ſecundum, ergo cùm poſſit una perſona naturam aſſumptam dimittere, remanente unione ad aliam perſonam, tunc erit pars naturæ ſuppoſitata in alieno ſuppoſito, & alia pars non erit ſuppoſitata, ac per conſequens poſita una ſubſiſtentia, adhuc indigeret alia, ne aliqua pars naturæ ſit ſine ſuppoſito. Nec valet, quod reſpondet, totam naturam terminari ab una perſona ſufficienter, non tamen ſufficienter extenſivè, hoc, eſt totaliter, ideoque poteſt adhuc ab alia ſuppoſitari. Quamvis enim hoc verum ſit in eo ſenſu quod diviſim, & ſucceſſivè poteſt ab alia perſona terminari, & ſuppoſitari, non tamen ſimul, & conjunctim. Quod ſi dicas poſſe etiam id ſimul, & conjunctim verificari, ſi ità ponatur natura pluribus ſubſiſtere ſubſiſtentiis, ut quælibet partialiter ponatur concurrere ad ſuſtentandam eandem naturam, ſic enim tota ſuſtentabitur ab utraque ſed non totaliter; Hoc jam refutatum eſt ſuprà *num.273.* & 274. quia cum talis concurſus ad terminandam naturam fiat à perſona aſſumente naturam in genere cauſæ formalis extrinſecæ, & terminativæ, nec dimidiari, nec attemperari poteſt. Aliam quoque rationem pro noſtra ſententia vide apud D. Bon. *3. diſt. 1. art. 1. qu. 3.* in corpore quæſtionis.

ARTICULUS TERTIUS.

Oppoſitæ ſententiæ fundamenta diruuntur.

IN oppoſitum Primò arguunt, quia perſonalitas Verbi non 290
tollit potentiam obedientialem, quam habet natura aſſumpta ad perſonalitatem Patris; ergo poſſunt ſimul eſſe in eadem natura; probatur antecedens, quia quando ſubiectum eſt capax duarum formarum taliter, quod ſingulæ poſſunt eſſe in illo, ſi una forma ſecundum ſe non eſt incompoſſibilis cum alia forma, quando eſt in ſubiecto, non tollit potentiam proximam, quam habet ad aliam formam; ſed duæ perſonalitates divinæ ſecundum ſe non ſunt incompoſſibiles, cum reperiantur ſimul in eadem natura divina; ergo una, dùm eſt conjuncta cum natura humana, non tollit potentiam proximam, quam habet ad aliam. Si dicas, quod ſunt incompoſſibiles non ſecundum ſe, ſed in ordine ad aliam naturam extrinſecam, cùm qua non habent identificationem. Contrà, non ſunt incompoſſibiles ſecundum ſe conſideratæ; ergo neque in ordine ad alteram naturam; probatur conſequentia, quia formæ, quæ non ſunt incompoſſibiles ſecundum ſe, in quocunque ſubiecto poſſunt eſſe ſimul, dummodò in tali ſubiecto ſit capacitas ad ſingulas; ſed in natura humana eſt potentia obedientialis ad ſingulas, & ipſæ non ſunt incompoſſibiles ſecundum ſe; ergo una non tollit potentiam obedientialem ad alteram; ità diſcurrit Orland. *loc. cit.* cum Suarez *diſp.13. ſect.2.*

Reſpondeo ex dictis *n.268.* in natura à Verbo aſſumpta eſſe 291
capacitatem, & potentiam obedientialem, ut etiam à Patre aſſumi poſſit, & à Spiritu Sancto, non conjunctim, & ſimul, ſed diviſim, & ſucceſſivè, adeout habeat potentiæ ſimultatem, non verò potentiam ſimultatis; Et cùm probatur, habere quoque potentiam ſimultatis, quia perſonalitates divinæ non ſunt invicem incompoſſibiles, cùm reperiantur ſimul in divina natura; ergo ſic etiam reperiri poterunt in humana; Negatur conſequentia, non enim ſemel negata eſt in ſuperioribus paritas de natura divina, & humana; alioquin etiam deduci poſſet, quod natura creata per Dei potentiam in tribus perſonis ſubſiſtere poſſit etiam in omnimoda identitate cum illis, ſic enim modo in tribus ſubſiſtit divina natura; quamvis ergo compoſſibiles ſint divinæ perſonalitates in eadem divina natura, & in omnimoda identitate cum illa, ob eius infinitam fæcunditatem, & perfectionis plenitudinem, non tamen cum natura creata ob eius finitatem, & limitationem; undè earum compoſſibilitas, vel incompoſſibilitas ad invicem, non ex earum natura deſumenda eſt, ſed ex conditione naturæ, in qua ſubſiſtere dicuntur; nam ſi infinita fuerit, poſſunt ſimul in ea reperiri, & in omnimoda identitate cum ea, non verò ſi fuerit finita, ut dictum eſt *n.286.* eo enim ipſo, quod finita eſt tantam capacitatem non habet, quantá habet infinita.

Sed inſtat Suarez, eſſentiam divinam ex ſe, & ex natura ſua 292
utique tria poſtulare ſuppoſita, quibus etiam omninò identificetur, & hoc illi convenire ex ſua infinitate; ſi autem tres perſonę eandem aſſumerent naturam creatam, neq; illa natura eſſet idem cum perſonis aſſumentibus, nec modus ille ſubſiſtendi eſſet connaturalis, ſed per gratiam, & omnipotentiam aſſumentis communicatus, ipſa natura non repugnante; quia cùm ipſa ſit in potentia ad quamcumque perſonalitatem divinam, & iſtæ alioqui in eadem natura non ſint incompoſſibiles, eadem ratione erit in potentia obedientiali ad omnes illas etiam ſimul terminantes. Reſp. ſi inſtantia valeret, æquè probaret, per gratiam, & omnipotentiam aſſumentis non tantùm potuiſſe naturæ communicari modum illum ſubſiſtandi in tribus eundem numero, ſeù in unitate numerica, ſed in omnimoda identitate cùm illis, ut ſuprà urgebam *n.276.* quod tamen Adverſarii non concedunt; ſicut ergo neque per divinam potentiam poteſt naturæ creatæ convenire, quod tribus divinis ſuppoſitis communicetur in omnimoda identitate cum illis, quia hæc communicabilitas eſt propria divinæ naturæ in eius infinitate radicata; ità eadem ratione nec convenire poterit, ut illis ſimul communicetur in unitate numerali ſine ulla ſui partitione, ac diviſione, quia talis communicandi modus eſt ità divinæ naturæ proprius ob ſuam infinitatem, ut creaturæ convenire non poſſit.

Secundò arguunt, in hoc myſterio tota ratio facti eſt volun- 293
tas facientis, & potentia ſecundum *Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſ.* ſed

ſed poſtquam aſſumpta eſt humanitas à Verbo, manet eadem potentia in Deo, & eadem potentia obedientialis in humanitate; ergo poteſt illa humanitas terminari quoque à Patre, & Spiritu Sancto. Confirmatur quia in ſingulis perſonis eſt conſimilis vis terminandi, nec poteſt aſſignari ratio, ob quam una perſona aſſumens obſtet, quo minus alia aſſumere poſſit, & quod natura unita uni perſonæ, eique inexiſtens, etiam inexiſtat alicui alteri, cùm illi duo modi exiſtendi non repugnent inter ſe.

Reſpondetur, Auguſtinum *loc. cit.* loqui de facto, non de poſſibili, nam ſi factum eſt, non repugnabat fieri, & utique etiam poſt factum manet eadem potentia in Deo, & eadem potentia obedentialis in humanitate, hæc autem eſt ad aſſumi ab una divina perſona, quæcunque illa ſit, ſeù ut aſſumi poſſit à tribus divinis perſonis, non conjunctim, ſed diviſim, quia potentia obedientialis non eſt ad ea, quæ repugnant; aſſumi autem à tribus ſimul repugnat, ut dictum eſt. Ad Conf. negatur aſſumptum quoad ſecundam partem, & repugnantia non eſt ex parte perſonarum aſſumentium, ſed ex parte naturæ aſſumptæ, tum quia nequit quoad eſſe ſubſiſtentiæ dependere à pluribus terminis totalibus, ut deductum eſt in ſecunda ratione; tùm quia evaderet infinitæ perfectionis, ut deductum eſt in tertia; tùm tandem quia ſi in tribus ſimul ſubſiſteret, in nullo perfectè ſubſiſteret, quia in eo non ſiſteret; nec conſumaretur ejus dependentia, ſed adhuc ulterius progrederetur, ut deductum eſt in quarta ratione.

294 Dices non repugnare eundem effectum totalem procedere à duabus cauſis totalibus, & adæquatis; ergo repugnantia aſſignata eſt nulla; probatur aſſumptum, quia quando mediante gratia habituali infuſa in juſtificatione tollitur peccatum ab anima, negatio illius peccati oritur à pluribus cauſis adæquatis; cùm enim peccatum cum qualibet parte habitualis gratiæ tunc collatæ ſit incompoſſibile, negatio illa à ſingulis ejus partibus totaliter, & adæquatè oritur. Negatur aſſumptum cum ejus probatione, ſiquidem negatio peccati totaliter dependet à tota gratia infuſa in ipſo juſtificationis inſtanti, non autem à ſingulis ejus partibus, niſi copulatim ſumptis, quia ratione illius totius Deus de facto decrevit peccatum auferre. Dices, ſi Deus daret tantùm partem iſtius gratiæ, hæc ubique tolleret peccatum, quia eſt cum eo incompoſſibilis, ergo negatio peccati ſequeretur ad illam partem, tanquam ad cauſam formalem adæquatam. Reſpondeo ità eſſe, quia de facto Deus determinavit condonare peccatum ad poſitionem cujuſcumque partis gratiæ habitualis; nihilominus quando infundit plures gradus habitualis gratiæ, propter illos plures gradus ſimul, & collectiuè ſumptos vult condonare peccatum, tanquam propter unam cauſam totalem, undè ad poſitionem totius gratiæ ſequitur tanquam effectus negatio peccati, non verò ad poſitionem cujuslibet gradus ſingillatim, & ſeparatim ab aliis.

295 Tertiò arguit Baldus *queſt. 4. diſt.* 4. ſi ulla eſſet ratio implicationis, ea foret, quoniam cùm perſona ſit rationalis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia, certè perſona reddit naturam incommunicabilem, itaut in ſenſu compoſito nequeat ab alia perſona terminari; Sed hæc ratio nulla eſt, etenim vel illa eſt definitio perſonæ, ut ſic, vel perſonæ divinæ, vel creatæ; ſi tantùm competit perſonæ creatæ, equidem natura illa, cùm ſit perſonata iam à perſona divina, non verò creata, non habebit, undè repugnet ab alia perſona divina terminari, & aſſumi; Quod ſi dicas eſſe propriam perſonæ divinæ falſum aſſumis, nam eadem divina natura in Patre perſonata, iterum terminatur à perſona Verbi, & Spiritus Sancti, ergò non eſt proprium perſonæ divinæ naturam reddere incommunicabilem alteri; Et propter eandem rationem dici non poteſt competere perſonæ ſecundum ſe, quia tunc etiam creatæ, & increatæ deberet convenire, ſiquidem definitio ſuperioris convenit inferiori, & tamen divinæ perſonæ non competit, ut dictum eſt.

296 Reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem dico eam definitionem convenire perſonæ, ut ſic, & conſequenter perſonæ divinæ, & creatæ; & cùm impugnatur de divina, occurro ex iam dictis *n.* 286. naturam divinam ob ſui infinitatem non uno tantùm modo communicabilem eſſe ſicut eſt natura creata, ſed trifariam, primo à ſe; ſecundo ab alio per intellectum; tertiò ab utroque per voluntatem; adhuc autem licet perſonalitas Patris divinam naturam non reddat ulterius abſolutè incommunicabilem alteri perſonæ, nam adhuc communicatur Filio, & Spiritui S. reddit tamen eam incommunicabilem primo incommunicabilitatis modo, & ſic dicendum de aliis perſonalitatibus proportione ſervata, itaut nequeant plures perſonæ divinæ ſimul terminare eundem modum ſuæ communicabilitatis, ex tribus explicatis; & in hoc ſenſu quælibet divina perſonalitas reddit naturam divinam incommunicabilem, nimirum unaquæque ſub proprio communicabilitatis modo, quo ſufficit, ut ea definitio perſonæ etiam ſuo modo divinæ adaptari queat divinam naturam terminanti; Quando verò terminat etiam naturam creatam aſſumptam; quia hæc ob ſuam limitationem, & finitatem uno tantùm modo communicabilis eſt, & per unam duntaxat dependentiam terminabilis; totaliter & adæquatè ab ea terminatur, adeò ut ſimul, & ſemel, ab alia perſonalitate divina terminari nequeat, & ſit alteri perſonæ incommunicabilis ſimul, & coniunctim abſolutè loquendo, & omni modo, duas alias, vel tres rationes ibidem Baldius adducit, quæ ex dictis ſolutæ manent.

Quartò arguit Arriaga, ſi ulla eſſet ratio implicationis, maximè eſſet ultima *n.* 287. adducta, & ex vi vocabuli *ſubſiſtentiæ* deducta; etenim naturam ſubſiſtere in aliquo ſuppoſito eſt ibi ſiſtere; & non ulterius progredi, aut ad aliud ſuppoſitum tranſire, quare ſi ſemel terminatur in ſuppoſito Verbi, non poteſt terminari in illo ſuppoſito Spiritus Sancti. Sed hæc ratio nulla eſt, demus enim divinitus eam naturam prius tempore ſine ulla fuiſſe ſubſiſtentia, rogo, ſiſtebat ne illa natura in ſeipſa, an non? certè non dices in ſeipſa ſubſtitiſſe, alioquin jam antè ſubſiſtentiam habuiſſet effectum formalem, quem ſubſiſtentiæ tribuis, iam verò addita ſubſiſtentia propria, ſiſtit in ſeipſa, explicetur mihi quæſo, quid ſit iam illam in ſeipſa, hoc eſt in natura ipſa ſiſtere? illam eſſe ſolam? hoc eſt falſiſſimum, quia potius anteà fuit ſola, & ita magis in ſeipſa tunc ſiſtebat, quàm iam quando eſt per aliud completa, ergo hæc ratio nihil omninò concludit, & talis ſubſiſtentiæ effectus eſt prorſus ridiculus. 297

Reſpondeo argumentum præmere ſententiam de poſitivo, aſſerentes nimirum ſubſiſtentiam conſiſtere in aliquo modo poſitivo naturæ ſuperaddito, at contrà ſententiam ſtatuentem illam præciſe in duplici negatione actualis, & aptitudinalis communicationis alteri ſuppoſito nihil urget, etenim in ea ſententia negamus etiam divinitus fieri poſſe, ut natura prius tempore ſine ulla ſubſiſtentia reperiatur, nam eo ipſo, quod ab alio ſuppoſito non aſſumitur, vel terminatur, iam intelligitur in ſe ſubſiſtere modo quodam negativo, & hic eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ reddere illam in ſe ſolitariè exiſtentem, & nulli extrinſeco ſuppoſito communicatam, ut fusè explicatum eſt *diſp.* 11. *Met. n.* 84. & ſuperius *qu.* 3. nam hoc à natura auferri non poteſt, niſi adveniente illo, cuius eſt negatio, ſiquidem negatio immediatè, & formaliter tollitur per formam poſitivam, quam negat, & cùm hæc ſit unio ad aliud ſuppoſitum, ſequitur non poſſe naturam privari propria ſubſiſtentia niſi per unionem ad aliud ſuppoſitum, ac proindè aliena ſubſiſtentia ſubſiſtere eo ipſo, quod non ſubſiſtat ſubſiſtentia propria, qua ratione dicebamus ſuprà *n.* 284. in adducenda quinta ratione pro concluſione effectum illum negativum ſubſiſtentiæ ex vi vocabuli tractum, nimirum in ſe ſolitariè ſiſtendi, nec ulterius tendendi ad aliud ſuppoſitum, melius explicari, ac defendi in ſententia de negativo, quam de poſitivo. 298

Quintò arguit Amicus, ſi eſſet aliqua ratio implicationis, maximè illa foret, quod nequit natura in ſubſiſtendo dependere à pluribus terminis totalibus, quorum uno ſublato æquè perfectè ſubſiſteret per alium: Sed hæc ratio implicantiam non convincit, ergo &c. probatur minor, nam quotieſcunque totalis, & adæquatus concurſus, quo aliquis effectus à cauſa producitur, vel conſervatur minoribus eſt, poteſt talis concurſus in partiales dividi, ac multiplicari, donec omnes partiales adæquent unum totalem, ſed totalis, & adæquatus concurſus hypoſtaticus, quo natura aſſumpta modo à Verbo dependet, & conſervatur eſt minorabilis, ergo poteſt in multos partiales dividi, ac multiplicari, qui unum totalem adæquent, ergo poterit natura eadem partialiter ſuſtentari ab aliis duabus perſonis, ſcilicet Patre, & Spiritu Sancto. 295

Reſpondeo negando utramque minorem, quod nimirum ratio illa non urgeat, & quod concurſus totalis, & adæquatus hypoſtaticus, quo natura aſſumpta modo à Verbo dependet, ſit minorabilis, & dimidiabilis, quia cum præſtetur ab eo in genere cauſæ formalis extrinſecæ, & terminativæ, nec minorari, nec dimidiari poteſt, nam hæc unio naturæ ad Verbum eſt relatio realis dicens ordinem eſſentialem ipſius naturæ, ut ſuſtentificatæ ſecundum totum ſuum eſſe ad ſuppoſitum totam illam ſuſtentificans, undè eo ipſo quod ipſam ſuſtentificat, totam ſuſtentificare dicitur, & totaliter, & ſicut natura humana ſe totam per hanc unionem communicat Verbo, ita pariter Verbum totam illam communicationem terminat, ac totaliter, quæ quidem terminatio ex parte Verbi ſuſtentatio dicitur, atque ſuppoſitatio, ut explicatum eſt ſuprà *num.* 273. & 274. Alia argumenta antiquiora, vide apud Scotum ſoluta, & alios Scotiſtas. 300

Hanc quoque ſententiam tenuit D. Bonav. *3. diſt. 1. art. 1. q. 3.* in corpore, pro qua rationem adducit valdè efficacem, quam non refero, quia eſt ipſamet ratio D. Anſelmi ſuperius allata, vel cum ea coincidit, undè concludit, quod propter contradictionem implicitam plures perſonas aſſumere unam, & eandem naturam nec eſt poſſibile, nec intelligibile. Nec verum eſt, quod inquit Suarez, in fine illius quæſtionis potius oppoſitum docere, cùm inquit; quamvis autem iſto modo impoſſibile ſit in-

ſit intelligere plures perſonas aſſumere unum, & eundem hominem, ſicut oſtendit Anſelmus, & oſtendunt rationes præmiſſæ; in hoc tamen non excluditur omnis alius modus aſſumptionis, quia cum multa poſſit facere Deus, quæ intellectus noſter non videtur poſſe capere, quis audebit aſſerere, quod tres perſonæ non poſſint unum, & eundem hominem aſſumere? Non, inquam, his verbis oppoſitum docet, quod anteà aſſeruerat; ſed ſolùm ob ejus modeſtiam, ut notat Marginiſta, inquit fortè non deeſſe divinæ omnipotentiæ alium modum, quo fieri poſſet hæc aſſumptio ab omnibus tribus perſonis, concludit tamen in fine quæſtionis, quod loquendo de modo unionis, quo nunc natura fuit Verbo unita, eſt prorſus impoſſibile dicens; Quicquid tamen ſit de hoc, illud pro indubitato habendum eſt, quod modo aſſumendi prædeterminato, impoſſibile eſt unum, & eundem hominem aſſumere propter multiplicationem implicitæ contradictionis, quia ſequeretur quod Filius eſſet Pater.

QUÆSTIO NONA.

An natura divina potuerit immediatè humanitatem aſſumere.

301 CErtum eſt de facto eſſentiam divinam, vel aliud abſolutum non fuiſſe rationem terminandi immediatè unionem hypoſtaticam, neque totalem, neque partialem, ſed hanc ſolùm fuiſſe perſonalitatem Verbi eſſentiam verò ſolum mediatè; ita Scotus *3. diſt. 1. qu. 1. & qu. 5.* quod probat, quia in quocumque ſuppoſito eſt ratio formalis terminandi hanc unionem, ipſum terminat eam; ſed Pater, in quo eſt eſſentia divina, & omne abſolutum non terminat hanc unionem; ergo eſſentia divina, vel quodlibet aliud abſolutum non eſt ratio terminandi, vel terminat immediatè hanc unionem, ſed ſolùm mediatè. Certum eſt prætereà etiam de poſſibili non poſſe divinam eſſentiam terminare immediatè aliquam unionem hypoſtaticam naturæ humanæ per ſuam abſolutam ſubſiſtentiam, ſi talis datur in divinis præter tres ſubſiſtentias relativas, eſſentialis ipſi Deo ſecundum naturam divinam à tribus perſonis abſtrahentem; nam unio hypoſtatica eſt, qua res alicui incommunicabilis unitur, & per ipſam perſonatur; ſubſiſtentia autem eſſentiæ abſoluta non eſſet huiuſmodi, quia adhuc communicabilis eſſet tribus perſonis; Tùm quia ſi humanitas immediatè uniretur eſſentiæ, vel talis unio diceretur hypoſtatica ab hypoſtaſi in fundamento, quo unitur, vel in termino, cui unitur; neutrum autem dici poteſt, quia hypoſtaſis, ut ſic, eſt incommunicabilis, ſed humanitas in caſu communicatur Deitati, nec Deitas eſſe poteſt incommunicabilis; ergo ex neutro capite talis unio hypoſtatica dici poſſet. Itaque quæſtio eſt, an natura divina per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta poſſit terminare dependentiam naturæ creatæ ad ſubſiſtendum abſolutè, non autem hypoſtaticè, & incommunicabiliter, atque adeò tres divinæ perſonæ mediante eſſentia in tribus exiſtente, poſſint aſſumere eandem naturam numero.

302 Ex quo conſtat hanc quæſtionem ex alia pendere, quæ diſputari ſolet in tract. de SS. Trin. an in Deo præter tres ſubſiſtentias relativas concedi debeat quædam ſubſiſtentia abſoluta ipſi Deo eſſentialis ſecundum divinam naturam à tribus perſonis abſtrahentem; quamvis enim adhuc aliqui negantes hanc abſolutam ſubſiſtentiam admittant poſſibilem eſſe unionem humanitatis immediatè cum natura divina, & aliqui è contrà eam concedentes adhuc negent talem unionem poſſibilem; Nihilominus quia hæc aſſumptio, & incarnatio intelligi non poteſt, niſi ad hoc, ut natura creata terminetur, & compleatur ad ſubſiſtendum; maximè refert, ſi in Deo præter relativas perſonales hæc ſubſiſtentia abſoluta, & eſſentialis reperitur, ad hoc nempè, ut per illam terminari, & compleri poſſit natura creata; & planè negari nequit, talis immediatæ unionis poſſibilitatem longe facilius defendi, conceſſa in divinis tali ſubſiſtentia abſoluta ultrà relativas, quàm ea negata.

303 Duplex itaque eſt in hac controverſia ſententia; Prima negat, Deum, ut à tribus perſonis abſtrahentem incarnari poſſe, quod quidem non in eo ſenſu intelligunt, data nimirum hypoteſi impoſſibili, quod Deus eſſet realiter à tribus perſonis abſtractus, ſivè quod non ſubſiſteret in tribus diſtinctis perſonis, ſed una tantùm eſſet perſona, ſicut nunc Infideles opinantur myſterium Trinitatis negantes, non inquam, in hoc ſenſu intelligunt quia ſic abſque dubio poſſet Deus adhuc incarnari, illa enim unica perſona non minorem vim ad hoc haberet, quam nunc ſingulæ perſonæ habeant; ſed loquuntur in ſenſu, quod re vera Deus in tribus perſonis exiſtat, ut fides docet, ſed natura divina conſideretur, ut quodammodo abſtracta à perſonalitatibus, quo pacto dici ſolet individuum Deitatis; in hoc inquam, ſenſu negant poſſe eſſentiam divinam terminare unionem humanitatis non ſolum hypoſtaticam, ſed nec aliquam aliam, quia negant omnem ſubſiſtentiam abſolutam in divinis, licet etiam aliqui admittant; ità Alenſis, D. Bon. Capreolus, Vaſquez, Lorca, Beccanus, Bonacina, Caſpenſis, Lugo, Hurtadus, & alii; Secunda ſententia affirmat; ità Scotus, Riccard. Durand. Ocham, & quamplures Thomiſtæ, ac Recentiores, Suarez, Raguſa, Averſa, Amicus, Valentia, & alii eò præſertim quia ſubſiſtentiam abſolutam in divinis agnoſcunt præter relativas, eſtò etiam aliqui nam negent, ut Amicus, & quidam alii. Verùm quia, ut dixi, reſolutio præſentis quæſtionis magna ex parte pendet ab illa, an in Deo præter ſubſiſtentias relativas perſonarum concedi debeat ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ tribus perſonis communis, opere prætium duxi, eam quoque hic breviter reſolvere, & quid dicendum de mente Scoti, ac ſecundum veritatem paucis aperire, quandoquidem ſit quæſtio potius de nomine, quam de re, ut ex mox dicendis conſtabit.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo ſenſu concedenda ſit in divinis ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ præter tres perſonales relativas.

QVamvis ex antiquioribus quamplures hanc ſubſiſtentiam abſolutam divinæ eſſentiæ propriam, & tribus perſonis communem negaverint, quos etiam ſecuti ſunt Recentiores non pauci, Vniverſa tamen Thomiſtarum, Scotiſtarum, ac Nominalium Schola docet divinam eſſentiam præciſam quocunque modò à perſonis, & perſonalitatibus ex ſe eſſe ens ſubſiſtens ſua propria, abſolutaque ſubſiſtentia; ità Scotus 1. *diſt. 7. qu. un. §. contra iſtud & diſt. 26. q. un.* ad 3. tertiæ viæ, *& 3. diſt. 1. qu. 2. §. ad quæſtionem*, ubi docet quod natura divina eſt de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens, licet non incommunicabiliter, *& diſt. 5. q. 1.* ubi dicit, quod licet non habeat ſubſiſtentiam incommunicabilem, ſicut perſona, habet tamen communicabilem; *& quol. 4. art. 2. §. aliter* ubi eſſentiam appellat rationem ſubſiſtendi, & concedit in divinis unum ſubſiſtere, quod diſtinguit à ſubſiſtere incommunicabiliter, *& quol. 5. art. 3. ad primum* ubi rurſus hoc ſubſiſtere diſtinguit à ſubſiſtere perſonalitatum, quæ ſunt rationes incommunicabiliter per ſe eſſendi; & alibi frequenter, quem ſequitur tota Schola Faber *n. 1. diſp. 26.* Vulpes 1. *p. diſp. 63. art. 10.* *Smiſting. tract. 1. diſp. 2. q. 1. à n. 47.* Poncius *diſp. 9. q. 8.* Rada *3. p. cont. 2.* Gallus in *3. diſt. 1. q. 2. c. 1.* & alii Scotiſtæ paſſim; ac etiã Recentiores Thomiſtæ Bannes, Alvarez, Cabrera, Nazarius, Suarez, Faſolus, Raguſa, Granad. Averſa, & alii quamplures. 304

Et hæc ſententia probatur ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum, & quidem Auguſtinus *lib. 7.* de Trinit. *cap. 4.* ex profeſſo docet in Deo ſubſiſtentiam abſolutam reperiri, ut notat Scotus *quol. 4. cit.* Anſelmus in Monolog. ait perſonas divinas per ſuam eſſentiam ſubſiſtere, & eodem modo loquuntur Niſſenus, Anaſtaſius Cyrillus, Athanaſius, Hieronymus, Hilarius Boetius, quorum verba referunt præcitati Auctores, & fruſtra nititur eludere Vaſquez *1. par. diſp. 125. c. 5.* cùm expreſsè Patres illi duplicem in Deo ſubſiſtentiam adſtruant, aliam Deitatis, & communicabilem, aliam perſonarum, & incommunicabilem; & ſic etiam habetur in 6. Synodo generali actione 4. in Epiſtola quadam, ubi dicitur, *Confitemur Deum Patrem, Deũ Filium, Deum Spiritum ſanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum ſeu trium perſonarum unam ſubſiſtentiam*, Nec obſtat, quod inquit Vaſquez *loc. cit.* in antiquis exemplaribus irrepſiſſe mendum, & pro ly *unam ſubſiſtentiam* corrigendum eſſe *unam ſubſtantiam*, nec credibile eſſe in tam paucis verbis eadem voce Pontificem uſum fuiſſe in ſenſu tam diverſo, ſcilicet, pro Deitate, & pro perſonis. Non obſtat, inquam, quia alii conſtanter volunt ità legendum eſſe, prout in antiquis codicibus reperitur, & ità expreſſam fuiſſe unam ſubſiſtentiam abſolutam tribus perſonis communem; Et cùm duplex ſit ſubſiſtentia, alia communicabilis, alia incommunicabilis, ideoque ſubſiſtens nunc naturam, nunc perſonam, ſignificet, ut teſtatur Ruſticus *lib.* de Incarn. contrà Acephalos, benè potuit Pontifex citrà ullum abſurdum illo nomine uti & pro Deitate, & pro perſonis.

Quoniam verò non pauciora extant Patrum, & Conciliorum teſtimonia pro oppoſita ſententia, tres tantùm ſubſiſtentias relativas, ac perſonales in divinis agnoſcentium, & nullam abſolutam memorantium, tota difficultas conſiſtit in exponendo, quo ſenſu hi ſint locuti, & quo alii pro noſtra ſententia allegati; Et quidem quo ſenſu Patres ſubſiſtentiam aliquam abſolutam negaverint tribus perſonis communem, & tres tantùm relativas admiſerint, facile eſt explicare; accipiebant enim ſubſiſtentiam pro ſuppoſito, hypoſtaſi, & ſubſiſtentia incommunicabili; quandoquidem, ut plurimi referunt graves Auctores, antiquitus nomen ſubſiſtentiæ habuit eandem ſignificationem, quam nunc ſuppoſiti nomen habet, ut conſtat ex his, quæ ſcripſit Leontius Epiſcopus in Nicæna Synodo Patrum, ut habetur in nova editione *lib. 2. fol.* 527. his verbis, *quicquid* 306

per ſe ſubſiſtit, quatenus per ſe ſubſiſtit, propria natura perſonam ſive faciem, ſive figuram habere dicitur, quarè ſubſiſtentia in hac acceptione ſubſtantiam ſingularem ſignificat prorſus incommunicabilem alteri ſuppoſito; ſed certè divina eſſentia, ut præciſa à tribus perſonis, eſt communicabilis ipſis tribus ſuppoſitis, ut eſt de fide; ergò nullo modo poteſt habere rationem ſuppoſiti, vel ſubſiſtentiæ in hoc ſenſu: Non ergo Patres negant ſubſiſtentiam abſolutam in divinis in ſenſu, quo à nobis aſſeritur, ſed per ſubſiſtentiam intelligunt hypoſtaſim, ſeù perſonam, aut exiſtentiam ultimò terminatam, quo pacto eſt de fide in Deo non dari ullam ſubſiſtentiam abſolutam, quia abſoluta in Deo ulterius determinantur per relativa, & perſonalia.

307 Quo autem ſenſu locuti ſint PP. pro noſtra ſententia ſtantes, & hanc abſolutam ſubſiſtentiam in divinis agnoſcentes præter relativas, quæ ſit propria divinæ eſſentiæ, ut abſtrahit à perſonis, major eſt difficultas: & ratio eſt, quia ſubſiſtentiæ nomen juxtà vulgatam, & receptam communiter receptionem id præcisè ſignificare videtur per quod natura redditur alteri incommunicabilis, & per ſe ultimatè exiſtens, ut conſtat ex ſuperius dictis de ſubſiſtentia, & *diſp. 11. Met.* quarè non videtur quo legitimo ſenſu eſſentia, ut à perſonis abſtracta, quantumvis perfectè exiſtens, poſſit dici ſubſiſtens, cùm de ratione ſubſiſtentiæ videatur eſſe incommunicabilitas alteri, ut ſuppoſito, ut non ſemel ſuprà dictum eſt; Varii ſunt modi explicandi hanc ſubſiſtentiam abſolutam, ut videri poteſt apud Auctores noſtræ ſententiæ conſortes, qui omnes aliquam patiuntur difficultatem; quarè poſt maturam rei diſcuſſionem magis arridet ille, quem adhibent Averſa, Smiſing. & alii nonnulli; Cùm enim ſubſiſtentia ex vi nominis dicat rationem eſſendi per ſe, quæ excludit rationem eſſendi in alio, qua ratione generatim à Philoſophis omnis ſubſtantia aliquo modo à ſubſiſtendo eſt appellata, quia non pendet ab alio ut à ſubiecto inhæſionis; dupliciter poteſt intelligi hoc eſſe per ſe, ſicut & eſſe in alio, quantum ſpectat ad præſens negotium, ut notat Averſa *par. 1. qu. 29. ſect. 2.* Vel enim eſt forma in alio, tanquam in ſubiecto, & materia; vel eſt in alio, tanquam natura in ſuppoſito; & ità quod eſt per ſe, aut eſt per ſe, hoc eſt non in alio, tanquam in ſubiecto; aut eſt per ſe, hoc eſt, non in alio, tanquam in ſuppoſito; & hoc ſecundo modo eſſe per ſe, & non in alio propriè dicitur eſſe incommunicabile; de quò rurſus diſtinguendum eſt, vel enim aliquid eſt per ſe incommunicabile ſimpliciter, hoc eſt, quod nullo prorſus modo poſſit exiſtere in ſuppoſito; vel eſt incommunicabile ſecundum quid, hoc eſt, quod non poſſit exiſtere in alio ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto, licet fortaſsè poſſit exiſtere in aliquo ſuppoſito, à quo non diſtinguitur.

308 Nunc in propoſito certum eſt eſſentiam divinam non importare ſubſiſtentiam, prout excludit eſſe in alio, tanquam in ſuppoſito cum incommunicabilitate ſimpliciter, quia ſubſiſtentia in hoc ſenſu eſt, quæ conſtituit hypoſtaſim, & ſuppoſitum; quarè cùm eſſentia divina rationem ſuppoſiti habere nequeat, ut dictum eſt, conſequenter hujuſmodi ſubſiſtentiam non habet, cùm ſit incommunicabilis tribus divinis perſonis; Si verò ſubſiſtentia accipiatur, prout eſſe per ſe excludit eſſe in alio, tanquam in ſubiecto, ac etiam eſſe in alio, tanquam in ſuppoſito diſtincto; in hoc ſenſu planè divinæ eſſentiæ convenire poteſt, quia licet non ſit incommunicabilis ſimpliciter, eſt tamen incommunicabilis ſecundum quid, quatenus non poteſt eſſe in alio ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto, ſicut eſſe poteſt quælibet creata natura, ſed tantùm in tribus propriis, quibus etiam realiter identificatur. Quarè cùm à tribus ſuppoſitis præciſa aliquam habeat incommunicabilitatem, quam non habet natura creata à ſuppoſito præciſa, rationabiliter poteſt ſpeciali quodam modo dici ſubſiſtens, quo dici nequit natura creata, quæ non tantùm proprio ſuppoſito, ſed etiam alieno communicari poteſt; quod evidenter probatur, nam eſſentia divina, ut à perſonis præciſa talis eſt, ut ei prorſus repugnet eſſe in alio, tanquam in ſubiecto; Et rurſus talis eſt, ut ei prorſus repugnet exiſtere in alio ſuppoſito ab ipſa divina natura diſtincto, ut de ſe patet, quod de natura creata aſſeri nequit; ergo in hoc ſenſu peculiari quodam modo dici poteſt, ac debet ſubſiſtens, quod dici non poteſt natura creata.

309 Ex quo patet irrationabiliter omninò Vaſquez noſtram ſententiam, quam graviſſimi Patres, ac Theologi docuerunt, acriter adeò condemnare, ut penè in ſuſpicionem erroris adduceret; quamvis enim verum ſit, ut diximus, olim nomen ſubſiſtentiæ ſignificationem habuiſſe ſuppoſiti; attamen cùm Theologorum uſu factum ſit, ut ſubſiſtentiæ in illa antiqua acceptione ſucceſſerit nomen ſuppoſiti, ipſaque ſubſiſtentia accipi etiam poſſit in ſenſu latiori jam explicato, dubitandum non eſt quin jam liceat hoc modo loqui, præſertim cùm nunc omnes Theologi illam abſolutam ſubſiſtentiam in divinis concedentes, in hoc ſenſu ſe explicent, nempè ut ſit idem, ac exiſtentia ita per ſe completa, ut non indigeat alio ſuſtentante, tanquam ſubiecto, vel ſuppoſito, ſive poſſit eſſe in alio, ſitque ſubſiſtentia communicabilis, ſive ſit incommunicabilis conſtituens ſuppoſitum; nam illa perſeitas independentiæ ab omni alio ſuſtentante maximè propriè ſignificatur per ſubſiſtere, ſicut dependentia oppoſita per inſiſtere, ſeù ineſſe; Adeout de ratione ſubſiſtentiæ in communi, prout abſtrahit à perſonali, & non perſonali, ſolùm eſt quod ſit incommunicabilis alteri realiter diſtincto, & ex indigentia ipſius naturæ ad hoc quod ſuſtentetur; ſubſiſtentia verò perſonalis ultrà hoc addit, quod ſit omninò incommunicabilis alteri; Natura autem divina cum ſubſiſtentia abſoluta, quãvis communicetur tribus perſonis, tamen neque dicitur communicari alteri realiter diſtincto, neque ex indigentia, aut neceſſitate ipſius naturæ, ad hoc quod ſuſtentetur, ſed ſolùm ex fæcunditate naturæ divinæ; & benè potuit melior Theologorum pars Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Nominalium auctoritatem habere ad hunc uſum vocabuli ſubſiſtentiæ introducendum.

Quamvis autem ita communiter explicetur hæc ſubſiſtentia abſoluta in divinis, ut ſit exiſtentia divinæ eſſentiæ ita per ſe cõpleta, ut non indigeat alio ſuſtentante, tanquam ſubiecto, vel ſuppoſito; licet enim divina eſſentia tribus communicetur ſuppoſitis, hoc non provenit ex indigentia, ut ſuſtentetur in illis, ſed ex plenitudine propriæ fæcunditatis, & infinitatis; Quod naturæ creatæ ſubſtantiali convenire non poteſt, antequam ſuppoſitetur, nam licet in illo priori exiſtat in ſe, & non in alio; non tamen ità exiſtit, ut in ultima actualitate, & completa concipiatur, quia completur per adveniens ſuppoſitum, & communicatur ex indigentia ſuſtentationis, & dependentiæ; Quamvis, inquam, ita à noſtri explicari ſoleat, magis tamen placuit eam explicare, ut talem per ſe exiſtentiam importet, quæ excludat eſſe in alio, tanquam, in ſubiecto, ac etiam eſſe in alio, tanquam ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto, qua ratione natura divina, etiam ut à ſuppoſitis propriis præciſa dicitur incommunicabilis alieno ſuppoſito, quæ incommunicabilitas naturæ creatæ à proprio ſuppoſito præciſæ convenire non poteſt, quia ſecundum potentiam obedientialem alieno ſuppoſito eſt communicabilis. Ratio autem cur hoc modo melius explicetur, quàm per non indigentiam ſuppoſiti, ut ſuſtentantis, nec alterius de novo advenientis, quo actuari, & compleri dicatur, ſicut actuari, & compleri dicitur natura creata per adveniens ſuppoſitum, ratio inquam, eſt quia ut ſæpè dictum eſt ſuprà præſertim *n.* 273. & 274. ac fuſiùs *diſp. 11. Met.* dependentia naturæ creatæ à ſuppoſito non eſt vera, & propria ſuſtentatio à priori, nulla enim eſt neceſſitas, & indigentia in natura ſingulari ſubſtantiali, ut petat in alio exiſtere, ut ſuſtentante ſive per modum ſubiecti, ſive ſuppoſiti, cùm enim ſit actus completus in genere ſubſtantiæ, nullam talem indigentiam habet ſuſtentantis, nec alterius complementi ſubſtantialis, qua de cauſa advertit Lichetus 3. *diſt. 1. quæſt.* 10. cautè accipi debere illos loquendi modus de innitentia naturæ, ejuſque ſuſtentatione, ac dependentia à ſuppoſito, quia re vera Doctor per dependentiam, innitentiam, & ſuſtentationem naturæ in ſuppoſito nil aliud intelligit, quàm communicationem naturæ proprio ſuppoſito, vel alieno, ut quo, itaut ſit illi ratio eſſendi tale, utitur tamen his vocabulis 3. *diſt.* 1. *qu.* 1. quia ibi probabilem aliquo modo iudicavit ſententiam de poſitivo, quæ illo loquendi modo uti ſolet, at in 1. ſentent. ubi docuit ſententiam de negativo, ſolo nomine communicabilitatis uſus eſt, vel incommunicabilitatis. Quarè cùm natura divina æquè benè tribus ſuppoſitis communicetur, ut quo, ſitque illis ratio eſſendi talia, poſſet pariter dici pependere ab illis, ac in illis inniti, & ſuſtentari, & è contrà negari poſſet naturam creatam ex indigentia inniti, vel ſuſtentari in proprio ſuppoſito, vel alieno, ſi per hoc intelligatur vera, & propria dependentia, vel ſuſtentatio à priori, qualem habet accidens à ſubiecto: Ideoque melius eſt, explicare ſubſiſtentiam abſolutam divinæ eſſentiæ per eam per ſe exiſtentiam, quæ excludit eſſe in alio, tanquam in ſubiecto, & eſſe communicabile alteri, tanquam ſuppoſito diſtincto, quam per eam non indigentiam ſuppoſiti verè, & propriè ſuſtentantis, quia nec talem indigentiam habet natura ſingularis ſubſtantialis à ſuppoſito præciſa, ut nitatur, & ſuſtentetur in illo, quandoquidem talis dependentia, vel innitentia, aut ſuſtentatio naturæ in ſuppoſito explicari non poſſit, niſi per communicationem, vel communicabilitatem naturæ ſuppoſito, ut quo, itaut ſit illi ratio eſſendi tale.

Hac autem data explicatione ſubſiſtentiæ abſolutæ in divinis, facilè ruunt duo præcipua fundamenta oppoſitæ ſententiæ. Primum eſt de re, quia eſſentia divina ita exiſtit, ut communicetur tribus ſuppoſitis, & ſit in illis, non autem per ſe, de ratione autem ſubſiſtentiæ eſt, quod ſit incommunicabilis. Hoc inquam, facilè ruit, quia dicimus eſſentiam divinam ità exiſtere, ut non ſit in alio, neque communicetur alicui à ſe realiter diſtincto, & in hoc ſenſu dicimus eam ſubſiſtere, & per ſe eſſe, undè licet de ratione ſubſiſtentiæ perſonalis ſit omnimoda communicabilitas cujcunque ſuppoſito, tamen de 310

ratione

ratione ſubſiſtentiæ in communi, prout abſtrahit à perſonali, & non perſonali, ſolum eſt, quo ſit incommunicabilis alteri realiter diſtincto, quæ incommunicabilitas utique divinæ eſſentiæ conventi etiam à perſonis præcisè. Alterum fundamentum eſt de modo loquendi, quod olim Concilia, & Patres uſi non ſunt nomine ſubſiſtentiæ, niſi pro hypoſtaſi, & ſuppoſito. Hoc etiam facilè ſoluitur, quia licet in multis Patribus, & Conciliis ſubſiſtentia uſurpetur pro hypoſtaſi, & perſona, in aliis tamen à nobis adductis ſumitur pro exiſtentia per ſe iam explicata, unde & noſtra ſubſiſtentiæ acceptio ſufficiens habet in antiquitate fundamentum; & dato etiam, quod olim ſumeretur à Patribus nomen ſubſiſtentiæ pro perſona, aut hypoſtaſi, hoc non obſtat, quia modò poſſimus hoc nomine uti in ſignificatione adducta, ſiquidem omnes ferè Theologi, ac Scholaſtici illo utuntur; Quod ſi Adverſarii hoc nomine ſubſiſtentiæ abſolutæ offenduntur, vocari poterit per ſe exiſtentia modo iam explicato, ne de nomine contendamus, quia ut dixi hæc quæſtio non eſt, niſi de nomine, ſiquidem in re etiam Adverſarii, nobiſcum convenire coguntur cùm divinæ eſſentię negari non poſſit per ſe exiſtentia etiam cum incommunicabilitate iam explicata, nempè ſuppoſito realiter diſtincto, quo pacto communicabilis eſt natura creata.

312 Cæterum Durandus 3. *d.* 1. *qu.* 2. præter ſubſiſtentiam abſolutam divinæ eſſentiæ tribus perſonis communem non admittit ſubſiſtentias relativas diſtinctas, & ait relationem divinam addere tantùm incommunicabilitatem, non verò ſubſiſtentiam, atque adeò tres quidem diſtinctos eſſe modos incommunicabilitatis, ſolum verò unicam ſubſiſtentiam; Undè vult perſonam divinam ſubſiſtere incommunicabiliter non per ſubſiſtentiam relativam, neque per ſubſiſtentiam abſolutam nude ſumptam, ſed per ſubſiſtentiam abſolutam, ut terminatam relatione; quare concludit, hoc quod eſt ſubſiſtere convenire perſonæ divinæ ratione ſubſiſtentiæ communis; hoc verò, quod eſt incommunicabiliter ſubſiſtere, convenire illi ratione relationis; Pro qua ſententia ſolet etiam citati Scotus, ſic enim loqui videtur in pluribus locis, nam *quol. 3. art. 3. §. reſpondeo* inquit, quod relatio in divinis nullam habet rationem ſubſtantialitatis, quia tantummodò habet rationem incommunicabilitatis; & *quol. 4. art. 1. §. contrà iſtam rationem* inquit, quòd cum eſſentia ſit ratio perſonæ eſſendi ſimpliciter, & cuilibet perſonæ etiam eſſendi hæc, nil ultra requiritur ad rationem perſonę, niſi incommunicabilitas, & *quol. 5. art. 3. ad primum iſtorum* inquit perſonalitates non addere, niſi incommunicabilitatem ipſi eſſentię; idem inſinuat 1. *d.* 5. *qu.* 2. *§. tertiò principaliter, & d. 7. q. un. & 4. d. 12. q. 2. ad princ.* qua de cauſa nonnulli Scotiſtæ hunc dicendi modum iudicant probabilem, & Scotiſtæ doctrinæ conformem, ut Gallus *loc. cit.*

313 Nihilominus valde probabilior eſt, tũ abſolutè loquendo, tùm in via Scoti ſententia affirmans, perſonalitates divinas, etiamſi ſint relationes, eſſe formaliter in ſe, & ex ſe ſubſiſtentes ſubſiſtentia incommunicabili; & in divinis eſſe tres ſubſiſtentias relativas etiam in abſtracto, ideſt, tres rationes ſubſiſtendi incommunicabiliter, & perſonaliter; Quod quidem expreſsè habetur in Synodo Conſtantinop. *act.* 11. ubi definitur, divinam Trinitatem numerabilem eſſe tribus ſubſiſtentiis perſonalibus; Et hoc ipſum evidenter ex myſterio Incarnationis deducitur, quia perſona Verbi de facto terminat unionem humanitatis, non ratione eſſentiæ immediatè, quia ſic humanitas eſſet æquè unita tribus perſonis, ſed ratione ſubſiſtentię perſonalis diſtinctę a ſubſiſtentiis aliarũ perſonalitatum. Et hoc tandem ſuadet manifeſta ratio, quia proprietas, & relatio cuiuſcunque perſonę divinę eſt ultimus terminus ipſius naturæ divinę cum ipſa ſuppoſitum conſtituens omninò alteri ſuppoſito incommunicabile; ſed per ſubſiſtentiam in hac acceptione nil aliud intelligitur, quam ultimus naturę terminus, dans incommunicabilitatem omnimodam; ergo &c. Nec ſatisfacit, quod Durandus dicebat, relationem divinam addere tantùm incommunicabilitatem, non vero ſubſiſtentiam. Etenim, relatio certè non addit ſolam negationem communicabilitatis, ſed ſuammet rationem poſitivam, in qua hæc negatio fundatur, qua ratione Doctor 3. *d.* 1. *q.* 1. G. vult perſonalitatem divinam dicere quid poſitivum, & non per ſolam negationem conſtitui, ſicut creatum, ſed ratio illa poſitiva, quę ſic ultimò terminat naturam, ut det incommunicabilitatem ſuppoſito, quod ſimul cum natura conſtituit, eſt veriſſimè ſubsiſtentia; ergò &c. Conf. quia hæc incommunicabilitas, quam ſecum fert relatio & eſt incommunicabilitas ſimpliciter, vel fundatur in ſubſiſtentia abſoluta, & hoc non, quia hæc eſt communicabilis, & ità repugnat, quod ſit fundamentum incommunicabilitatis, vel fundatur in aliqua poſitiva entitate ipſius relationis, & ſic opus eſt dicere, quod relatio ſecum afferat ſubſiſtentiam aliquã, in qua hęc negatio fundetur, Atque ità ſentiunt meliores Scotiſtæ, Smiſing. *to. 2. trat. 1. diſp. 1. q. 4. n.* 77. & 78. Rada 3. *p. contr. 2. art. 2.* Faber, Vulpes, & alii paſſim, ac etiam Gallus ipſe, qui licet oppoſitam ſententiam iudicet probabilem, hanc tamen præfert, ut omninò probabiliorem.

Et in hanc partem etiam Scotus ipſe magis inclinat etiam in locis in oppoſitum citatis, nam 1. *diſt. 5. q. 2. §. tertiò principaliter, verſ. iſti igitur eſſentia* relationem appellat per ſe ſubſiſtẽtem, & *d. 7. q. un. §. ad argumenta igitur in oppoſitum* relationes ſimiliter appellat ſubsiſtentes, & *quol. 5. art. 3. § ad primũ* loquens de relatione, inquit, *eſt ratio ſubſiſtendi, quia eſt ratio incommunicabiliter per ſe eſſendi.* Neque oppoſitum docet locis ſupracitatis, nam in primo loco *quol.* 3. negat relationis rationem ſubſtantialitatis, ut hæc dicit aliquid quidditativum, & perfectionale, non tamen ſubſtantialitatem qualitativam, & modalem. In ſecundo loco *quol.* 4. intendit tantùm proprietates relativas non dare eſſe ſimpliciter perſonis ab eis, & eſſentia conſtitutis, cum id prius habeant ab eſſentia; non negat tamen, quod dent modum eſſendi, nẽpe ſubſiſtentiam relativam. In tertio loco *quol.* 5. eodem modo intelligi, & explicari debet, quod perſonalitas, & relatio non dat eſſe ſimpliciter perſonæ, hoc enim habetur ab eſſentia, ſed dat ſubſiſtentiam relativam, & incommunicabilem. In quarto, & quinto loco, ſcilicet 1. *diſt. 5. q. 2. & diſt. 7. q. un.* potius habet oppoſitũ, ut diximus. In ultimo tandem loco 4. *di. 12. q. 2. ad 4. princ.* inquit, quod relatio divina non eſt ità per ſe, ſicut eſſentia divina, ſcilicet, ſimpliciter ad ſe ens nullo modo indigens ad ſui eſſe alio quocunque. Nec eſt ita per ſe, ſicut ſuppoſitum eſt per ſe ens, ſed ipſa ſecundum rationem ſuam formalem neceſſariò eſt in ſuppoſito, ut vel in præſuppoſito, vel ut formaliter per ipſam conſtituto; quibus verbis ſolùm inſinuare voluit relationem divinam non eſſe ità per ſe, ſicut eſſentia, nec ita perfectam habere ſubſiſtentiam, ſicut illa, ſiquidem relationes divinæ ſunt in Deo, vel in eſſentia, ut in fundamento, & in perſona, ut per eam conſtituta.

Dices, relatio, ut relatio, dicit eſſe *in*, & eſſe *ad*; ergo non poteſt dicere eſſe per ſe, hęc enim ratio eſſendi per ſe dicit conceptum abſolutum; ergo relatio non habet ſubſiſtentiæ rationem. Conf. quia alioquin quatuor in Deo darentur ſubſiſtentiæ, tres relativę, & una abſoluta, quod eſſet ponere quaternitatem in Deo aut ergo negandæ ſunt tres ſubſiſtentiæ relativæ in divinis; aut neganda abſoluta tribus communis.

Reſpondeo; nec quodlibet eſſe in alio tollere rationem eſſendi per ſe, qualem importat ſubſiſtentia, alioquin nec eſſentia poſſet dici eſſe per ſe, quia in tribus exiſtit perſonis; nec quodlibet eſſe ad aliud, quia divinæ relationes ſunt ſubſtantiales, non accidentales; undè eſſe per ſe nec dicit conceptum abſolutum, nec cum conceptu relativo repugnat, ſed ab utroque præſcindit, atque ideò optimè poteſt convenire relationi; quarè ſolum eſſe *in* & *ad* relationis accidentalis tollit rationam eſſendi per ſe. Ad Confirmationem negatur conſequentia; ſicut enim ibi non dantur quatuor res, quamvis ſit una eſſentia, & tres relationes, quia iſtę cum eſſentia perfectè identificantur, ita nec quatuor ſubſiſtentiæ, quia tres relativæ perfectè identificantur cum abſoluta, quarè ſolùm concedendum erit dari tres ſubſiſtentias relativas inter ſe realiter diſtinctas, & cum una ſubſiſtentia abſoluta communi omninò identificatas. Concludo itaque in divinis præter ſubſiſtentiam abſolutam divinæ eſſentiæ propriam in ſenſu jam explicato, concedi quoque debere tres ſubſiſtentias relativas, non ſolùm in concreto, & adiectivè, ſed etiam in abſtracto, & ſubſtantivè, quas Scotus noſter nunquam negauit, ut falsò ab aliquibus ei imponitur, quemadmodum notat Caſpenſis *tract. de Trin. diſp. 3. ſect. 5.* ubi plures congerit rationes ad labefactandam ſubſiſtentiam abſolutam, & communem, quæ facilè ſoluuntur ex dictis. 315

ARTICULUS SECUNDUS.

Quo ſenſu concedendum ſit divinam Naturam potuiſſe immediatè humanitatem aſſumere.

DIcendum eſt, quod abſtrahendo divinam naturam pęnitus à perſonis, in hoc ſenſu incarnari non poſſe, nec immediatè unionem humanitatis terminare; ſed tantum intelligendo naturam creatam primo quidem, & immediatè uniri Deo pęnes ſubſiſtentiam abſolutam eſſentialem, & mediatè perſonis pænes ſubſiſtentias relativas perſonales; ità Doctor 3. *diſt. 1. q. 2. §. ad quæſtionem*, in fine cum omnibus Scotiſtis, & aliis Auctoribus citatis ab initio quæſtionis *n.* 258. Et quidem quoad primam partem concluſio de ſe patet, quia cùm perſonales ſubſiſtentiæ ſint prorſus à parte rei cum eſſentia divina identificatæ, intelligi non poteſt unio humanitatis ad eſsentiam terminata, quin hoc ipſo, mediante ipſa natura etiam ad perſonalitates terminaretur, eo modo quo de facto dicimus humanitatem ſubſiſtentiæ Verbi immediatè terminatam eſſe quoque ea mediante unitam ipſi naturæ divinæ, cum qua identificatur. 316

Quoad alteram verò partem ſuadetur, quia divina eſſentia ex ſe verè ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta iam explicata, & non tantùm, quia eſt in ultima actualitate, nec eſt ulterius perfectibilis, ſed etiam quia licet non ſit ſimpliciter incommunicabilis, eſt tamen incommunicabilis ſecundum quid, quatenus non poteſt eſſe in alio ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto, ſicut eſſe 3

poteſt

poteſt quælibet natura creata, ut artic. præcedenti demonſtratum eſt, ergo poteſt terminare dependentiam oppoſitam, tali independentiæ, ut in ſimili argutum eſt de poſſibilitate Incarnationis; ſed natura humana eſt dependens dependentia oppoſita, quia potentiã habet obedientialem ad communicari, & ſuſtentari in ſuppoſito alieno; ergo &c. Confirmatur, quia ſicut dependentia humanitatis poteſt totaliter, & ultimatè terminari à ſubſiſtentia relativa Verbi, itaut per eam reddatur incommunicabilis ſimpliciter, & omninò; ita terminari poterit à ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ, itaut per eam reddatur incommunicabilis ſecundum quid, adeoquod non poſſit exiſtere, quamdiù eſt illi unita, in alio ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto; & ſicut in Deo prius ratione concipimus reperiri ſubſiſtentiam aliquam, & incommunicabilitatem in eſſentia abſoluta, ac deindè advenire ſubſiſtentias perſonales cum incommunicabilitate ſimpliciter; itaquoque intelligere facilè poſſumus naturam creatam aſſumi eodem modo ad ſubſiſtendum, ut nempè per talem aſſumptionem ipſa quoque reddatur incommunicabilis ſecundum quid; nempè ſuppoſito alieno realiter diſtincto, & quod ſicut ipſa eſſentia ſuis ſubſiſtentiis perſonalibus intrinſecè terminatur, & omninò incommunicabilis redditur, hoc ipſo quoque humanitas illa aſſumpta iiſdem ſubſiſtentiis perſonalibus ultimò compleatur, & terminetur, ac omninò incommunicabilis reddatur.

318 Ex qua doctrina facilè declaratur, quę & qualis eſſet iſta unio, in quo puncto conſiſtit tota huius quæſtionis difficultas, licet enim non eſſet unio hypoſtatica, qualis eſt unio modò facta in Verbo, quia non eſſet unio duarum naturarum in vna, eademque perſona, de ratione ſiquidem unionis hypoſtaticæ eſt, quod terminus eius immediatus, & proximus ſit hypoſtaſis & ſuppoſitum eſſet tamen unio valdè ei ſimilis, licet enim non eſſet unio ad aliquod incommunicabile ſimpliciter, & omninò; ſicut eſt unio hypoſtatica, eſſet tamen unio ad aliquod incommunicabile ſecundum quid modo jam explicato; undè humanitas aſſumpta ab ipſa eſſentia haberet aliquam incommunicabilitatem, nempè reſpectu omnis ſuppoſiti ab eadem divina natura diſtincti, quæ incommunicabilitas per ſe convenit ipſi divinæ naturæ, quamvis natura creata non niſi per ſubſiſtentiam perſonalem a ſe diſtinctam terminetur. Deindè etiam ex alio capita ſimilis eſſet hæc unio unioni hypoſtaticæ, quia adhuc per unionem dictam naturæ humanæ cum divina conſtitueretur unum unitate perſonæ, non quidem cum eſſentia divina præciſè ſumpta, nec cum omnibus perſonis collectivè ſumptis, ſed cùm ſingulis perſonis, quibus nempè natura creata mediante ſubſiſtentia abſoluta conjungeretur, ſiquidem non poteſt natura creata uniri ſubſiſtentiæ divinæ abſque eo, quod ſimul terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, cùm ob perfectam identitatem naturæ divinæ cum illis, tùm quia non poteſt formaliter à natura creata excludi tota ratio propriæ ſubſiſtentiæ, niſi adveniat tota ratio ſubſiſtentiæ alienæ, qua ſuppleatur tota naturæ indigentia; ex qua ſanè doctrina ſolvuntur omnes difficultates, quæ contrà noſtram ſententiam obiici poſſunt.

319 In oppoſitum Primò obiiciunt, quod apud Concilia, & Patres non alia vnio nominatur, quam vel in natura, vel in perſona, hoc eſt, vel ad conſtituendam unam naturam, vel unam perſonam; ſed unio naturæ creatæ cum natura divina non poteſt fieri in unitatem perſonæ, quia ipſa non eſt perſona, neque fieret in unitatem naturæ, quia ex natura divina, & humana nequit una natura conſtitui. ergo &c. Confir. quia ratio unionis ſubſtantialis debet omninò ordinari ad conſtituendum unum ſubſtantiale, & unum ſubſtantiale vel eſt unum in natura, vel unum in perſona, ſed natura creata cùm natura divina nec poteſt conſtituere unum in natura, nec unum in perſona, ergò nequit cum ea ſubſtantialiter uniri.

Reſpondeo, utrumque poſſe concedi, quod, ſcilicet, fieret unio in natura, ac etiam in perſona, ſi ſano modo intelligatur; fieret in perſona, vel in unitatem perſonæ, non quidem immediatè, ſed mediatè, quatenus humanitas mediate eſſentia, & ſubſiſtentia abſoluta Dei conſtitueret perſonam cum ſingulis ſubſiſtentiis perſonalibus divinis modo iam explicato; poteſt etiam concedi quod fieret in natura, non quidem in eo ſenſu, quod conſtitueretur per identitatem, vel compoſitionem una tertia natura, ſed terminativè, quatenus, ſcilicet, unio eſſet immediatè ad naturam terminata, in quo ſenſu potius dici deberet humanitatem aſſumi ad unionem cum natura, vel ad naturam; quàm in unitate naturæ, quia illa propoſitio ſignificat ex vi conſtructionis naturam eſſe terminum unionis, iſta verò ſignificat unitatem identitatis naturæ ad naturam, vel compoſitionem ex natura, & natura, ut explicat Doctor *3. diſt. 1. q. 2.* in calce §. *ſed contrà*. Ad Confirmationem ſimiliter dicendum eſt, quod per prædictam unionem naturæ humanæ cum divina conſtitueretur unum in perſona, non immediatè, ſed mediatè modo iam explicato.

320 Secundò obiiciunt, quia non poteſt aſſumi natura creata cum propria ſubſiſtentia, at unio humanitatis ad naturam divinam immediatè non excluderet propriam ſubſiſtentiam eiuſdem naturæ; ergo talis unio eſt impoſſibilis; Maior patet, probatur minor, quia ſubſiſtentia propria naturæ humanæ eſt ultimus terminus, & eſt perſonalis; ergo non excluditur, niſi ſubſiſtentia ultima, & perſonali. Conf. quia ſi unio ad naturam immediata excluderet propriam humanitatis ſubſiſtentiam, tunc careret humanitas omni perſonalitate, tam propria, quàm aliena, quod eſt impoſibile; careret quidem propria, ut ſupponitur; careret etiam aliena, quia natura divina, ut ſic, non eſt perſona, atque ideò naturam creatam perſonare non poteſt.

Reſpondetur negando minorem, quia cùm ſubſiſtentia creata ex ſua natura omnem excludat actualem communicationem, conſequenter incompoſſibilis eſſet cum iſta unione; tùm quia ſi non immediatè, ſaltem mediatè communicaretur ſubſiſtentiæ perſonali, & incommunicabili; quarè argumentum probat ad ſummum non poſſe humanitatem ſubſiſtentiæ divinæ abſolutæ uniri, quin ſimul terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, quia formaliter tota ratio propriæ ſubſiſtentiæ creatæ excludi non poteſt, niſi tota ratio ſubſiſtentiæ alienæ adveniat, qua tota naturæ indigentia ſuppleatur. Ad Conf. negatur conſequentia, quoad ſecundam partem, hæc enim unio, qua Deus abſolutè ſumptus humanam naturam immediatè aſſumeret, eo modo fieret, ut diximus, quod natura creatam, mediante ſubſiſtentia abſoluta divinę naturę, terminaretur etiam, ac ultimò compleretur ſubſiſtentiis perſonalibus.

Tertiò, obiiciunt Anſelmum lib. de Incarnatione Verbi *cap.* 321
4. contra quendam Hæreticum arguentem, qui dicebat incarnata una perſona, alias quoque neceſſariò incarnari ob unitatem eſſentiæ, & eius identitatem cum perſonis; arguebat, inquam, Anſelmus, quod ille ſentiret ſic dicendo incarnationem factam eſſe, non in perſona divina, ſed in natura ad conſtituendam unam naturam; quarè iuxtà mentem Anſelmi non poterat eſſe alia unio cum Deo, niſi vel cum perſonalitate divina ad unitatem perſonæ, vel cum natura ad unitatem naturæ; nec putavit poſſibilem eſſe unionem intercedentem immediatè cum natura divina, qua omnes tres perſonæ eſſent incarnatæ. Reſp. quicquid dicant alii, imò Anſelmum ibi nobis expreſsè favere, nam ut ſequatur incommodum, quod Hæreticus ille deducebat, nempè ex Incarnatione Verbi Patrem, & Spiritum S. fuiſſe incarnatos, dicit id ſecuturum, ſi aſſumptio humanitatis facta fuiſſet in unitate naturæ, hoc eſt, per unionem immediatam humanitatis ad divinam naturam; ac ità neceſſariò debet intelligi Anſelmus, non autem in unitate naturæ, hoc eſt, ad conſtituendam unam naturam, quia hoc non refutat, ut impoſſibile, inquit enim *ſi hęc non opinaretur, ſcilicet, unionem fuiſſe factam in natura*. deducit ergo ex unione humanitatis ſic facta in natura; tunc ſecuturum Patrem cum Filio fuiſſe incarnatum non autem deducit eſſe impoſſibile, quod in unitate naturæ facta ſit Incarnatio, hoc eſt, ad conſtituendam unam naturam; Quarè ſenſus Anſelmi eſt, ſecuturum id, quod inferebat Hęreticus ille, ſi unio facta eſſet immediatè ad naturam, quia cum ſubſiſtentiæ perſonales ſint realiter identificatæ cum natura divina, intelligi non poteſt unio naturæ creatæ terminari ad divinam naturam, quin hoc ipſo terminetur etiam ad perſonalitates mediante ipſa natura divina; quod adamuſſim eſt id, quod hic nos aſſerimus.

Quartò obiiciunt; Vel in Deo non datur ſubſiſtentia abſolu- 322
ta conveniens eſſentiæ divinę, ut à perſonis præciſæ; vel ſi datur, non eſſet formaliter aliud, quam per ſe exiſtentia naturæ divinæ; at nequit fieri unio in natura abſque ſubſiſtentia, nec ulla exiſtentia poteſt terminare naturam indigentem complemento intrinſeco ad ſubſiſtendum; ergo non poteſt dari unio naturæ creatæ immediata cum natura divina.

Reſp. Amicus non repugnare naturam divinam immediatè terminare ſubſtantialem unionem naturæ creatæ ad ſe, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam à relativis diſtinctam; quoniam natura creata exigit ſubſiſtentiam, non tantum, ut per eam fiat incommunicabilis; ſed primariò, & principaliter, ut per eam poſitivè compleatur in ratione exiſtendi, quia cùm reliquas perfectiones ad ſubſtantialem naturam requiſitas habeat natura ex ſe, non ſupereſt in quo alio poſſit à ſubſiſtentia perfici, & compleri, quàm in ratione exiſtendi, & hunc dicit eſſe effectum poſitivum ſubſiſtentiæ, & primariò à natura intentum; incommunicabilitas verò eſt effectus purè negativus, cùm formaliter dicat negationem communicabilitatis; quem poſitivum ſubſiſtẽtiæ effectum complendi, & perficiendi naturam alii ità explicant ut ſubſiſtentia comparetur naturæ, velut perficiens, & ſuſtentans eam in eſſe, & quaſi manutenens, & faciens, ne ruat. Hanc ergò naturæ creatæ indigentiam ſupplere poteſt natura divina per propriam exiſentiam, cum nullam imperfectionem, & inſufficientiam habeat in eſsendo, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam; Quam doctrinam etiam Rada recipere videtur *controu. 2. cit. 2. notab.* 3. dum ait ad aſſumptionem terminandam ſufficere in aſſumente per ſe exiſtentiam, etſi illa non ſit incommunicabilis; quia aſſumptum ſolùm indi-

get ſubſtentante, at per ſe exiſtens, & ſubſiſtens ità bene poteſt ſuſtentare naturam, ſi ſit communicabile, ac ſi omnino incommunicabile eſſet; non enim illa incommunicabilitas ad hujuſmodi ſuſtentationem, & terminationem per ſe requiſita videtur.

323 Verum, ut dictum eſt *diſp. 11. met. q. 3.* & ſuprà *n.* 273. & 274. & 310. hęc doctrina de indigentia naturæ ſubſtantialis ad ſubſiſtendum non placet, quia ſi indigentia naturæ ſubſtantialis talis eſſet, ut ſubſiſtentia comparetur illi, ut eam ſuſtentans in eſſe, & quaſi manutenens, & faciens, ne ruat, exiſtentia naturæ ſubſtantialis in nihilo differret ab exiſtentia accidentis, quod ſimili indiget fulcro, & ſuſtentaculo; ideoque dicebamus dependentiam naturæ creatæ à ſuppoſito non eſſe veram, & propriam ſuſtentationem à priori, nulla ſiquidem eſt neceſſitas in natura ſubſtantiali ſingulari, ut petat in alio exiſtere, ut ſuſtentante, & fulciente, ne ruat; ſed importare tantummodò dependentiam, quam habet natura ad communicari proprio ſuppoſito, vel alieno, itaut ſit illi ratio eſſendi tale; Qua etiam ratione dicebamus *diſ. 11. me. n.* 46. formalem ſubſiſtentiæ effectum eſſe negativum, non poſitivum, & propriè eſſe incommunicabilitatem ſuppoſitalem, ſeù eſſe incommunicabile, ut natura ſuppoſito; & cum dicitur natura perfici, & compleri per propriam ſubſiſtentiam, id intelligendum eſſe modo quodam negativo, quatenus nempè negatio per ipſam ſubſiſtentiam importata excludit à natura dependentiam à quolibet ſuppoſito extrinſeco, dùm per talem negationẽ in ſe ſiſtere dicitur, nec ulterius tendere ad alienum ſuppoſitum. Itaque ad argumentum dicendum eſt, dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quæ etiam ad evitandam de nomine contentionẽ poteſt appellari per ſe exiſtentia, quæ tamen aliquid plus importet, quam naturæ creatæ exiſtentia illam nempè incommunicabilitatem ad ſuppoſitum realiter diſtinctum, qua caret natura creata; & ratione hujus per ſe exiſtentiæ benè poteſt natura creata uniri divinæ, & ab ea aliquatenus compleri, ac terminari quantum ad ſuam indigentiam ad ſubſiſtendum, recipiendo nimirum ab ea incommunicabilitatem reſpectu omnis ſuppoſiti ab eadem natura divina diſtincti, quæ incommunicabilitas per ſe convenit divinæ naturæ non verò creatæ.

324 Quintò arguunt, quia admiſſa quoque ſubſiſtentia abſoluta divinæ naturæ, hæc nequit eſſe terminus unionis ſubſtantialis alicujus naturæ creatæ, quod enim eſt communicabile, & terminabile non poteſt eſſe terminus, nam ratio termini eſt ratio ultimi finis ſubſtantialis, quo abſolvitur, & completur progreſſus conſtitutionis ſubſtantialis; Vndè quia in latitudine ſubſtantiali non completur, nec finitur, aut terminatur Deus per ſubſiſtentiam abſolutam, ſed potius per illam exigit ulterius progredi in alio genere entis ſubſtantialis, ideò nequit habere ſubſiſtentia abſoluta rationem termini, ità arguit Orlandus *diſp. 6. q.* Confirmatur, quia nulla perfectio Dei abſoluta poteſt uniri ſubſtantialiter creaturæ, ſeù ei communicari; quod ſi hæc ſubſiſtentia poſſet, profectò omnes perfectiones Dei abſolutæ poſſent naturam creatam terminare, & creaturæ communicari; cùm omnes ſint ęquè perfectè, & non ſit maior ratio unius, quàm alterius, ità arguit Caſpenſis *tract. 20. diſp. 3. qu. 3.* quam cenſet rationem omnium validiorem.

Reſpondo, per hoc probari ſolum, quod ſubſiſtentia abſolu- 325
ta divinæ naturæ nequeat eſſe terminus finalis, & ultimatus unionis ſubſtantialis naturæ creatæ, quia hęc eſt finaliter ad ſubſiſtendum incommunicabiliter, & omninò in proprio ſuppoſito, vel alieno; cum quo benè ſtat, quod ſaltem poſſit eſſe illius unionis terminus proximus, & non ultimus, cùm habeat aliqualem incommunicabilitatem, nempè reſpectu omnis ſuppoſiti ab ea diſtincti, ad quam incommunicabilitatem poteſt naturam creatam trahere; quarè argumentum probat ad ſummum non poſſe naturam creatam uniri ſubſiſtentiæ divinæ abſolutæ, quin ſimul cum ipſa terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, ut terminis finalibus, & ultimatis ad omninò incommunicabiliter ſubſiſtendũ. Ad Conf. negatur paritas de ſubſiſtentia, & aliis divinis attributis, quia ſapientia, bonitas, & alia attributa eſſe nequeunt in creaturis, niſi ſecundum quandam rationem formæ, & ideò implicat creaturam eſſe ſapientem ſapientia divina, niſi ſecundum idiomatum communicationem; at ſubſiſtentia divina ſine ulla ratione formæ poteſt terminare ea ratione, qua incommunicabilis eſt, communicabilitatem, vel communicationem naturæ creatæ; relativa quidem per modum termini ultimi, & finalis; abſoluta vero per modum termini non ultimi.

Poſtremò obiiciunt quidam Scotiſtæ, Scotum in hac re fuiſſe 326
ancipitem, nam in *3. diſt. 5. qu. 1.* ait, quod ſi incommunicabilitas requiritur in termino unionis, natura divina non poteſt terminare; ſi non requiritur, ſed ſufficit per ſe ſingulare, & per ſe exiſtens, poſſet terminare. Reſpondeo negando aſſumptum, quia *3. diſt. 1. qu. 2. B.* inclinat in partem affirmantem quod illa incommunicabilitas non ſit per ſe requiſita in terminante; Vel ſi requiritur, dicendum ſufficere incommunicabilitatem ſecundum quid jam explicatam, qua non caret ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ.

DISPVTATIO SECVNDA
DE GRATIA, ET SANCTITATE CHRISTI,
Et aliis ejus perfectionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An gratia habitualis fuerit neceſſaria in Chriſto ad effectum ſanctificationis.

1 FATENTUR omnes Theologi in Chriſto eſſe gratiam habitualem, ut colligitur ex verbis illis Jo. 1. *vidimus gloriam ejus*, &c. *plenum gratia, & veritatis*. Fatentur pariter omnes ſecundum humanitatem fuiſſe à primo ſuæ conceptionis inſtanti Deo gratum, ſanctum, juſtum, & innocentem, ut conſtat ex Scripturis Matth. tertio. *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. & Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*, & Hæbr. 7. *talis enim dicebat, ut nobis eſſe Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*. Controvertitur itaque an fuerit ſanctus per ſolam gratiam habitualem, an etiam ratione unionis cum Verbo; ſeù quod idem eſt, an humanitas Chriſti ſit ſancta, & gratia Deo ex vi unionis hypoſtaticæ, itaut talis eſſet etiam ſine gratia habituali.

2 Prima, & communiſſima ſententia in Schola Thomiſtarum, ac Recentiorum eſt per unionem ad Verbum ità ſanctificari humanitatem Chriſti, ut ad hunc effectum præſtandum non indigeat gratia habituali, aut aliqua alia forma creata; licet poſteà diſputent, quænam propriè ſit, ac dici debeat forma ſanctificans in hoc ordine ſanctitatis increatæ, quæ in genere cauſæ formalis conſtituat Chriſtum hoc modo ſanctum; nùm divina ipſa natura, vel perſonalitas Verbi, vel modus ipſe unionis Addunt nihilominus præter ſanctitatem increatam unionis hypoſtaticæ, ſanctificatam præterea fuiſſe animam Chriſti ſanctitate creata per gratiam habitualem quia maximè decens eſt in anima Chriſti fuiſſe omnem ſanctitatem, & omnem modum ſanctitatis poſſibilis; quarè quamvis per unionem ad Verbum fuerit humanitas Chriſti ſanctificata ſanctitate increata ſubſtantiali, & infinita; quia tamen per illam non ſanctificabatur ut forma creata accidentali, finita, & inhærente, oportuit etiam ut gratia habituali ulterius ſanctificaretur, & ſic haberet conſumatam perfectionem etiam extenſivam ſanctitatis. Adeo quod Chriſtus ſecundum humanitatem duobus modis fuit ſanctus, & Deo gratus, primò per gratiam unionis, & rurſus per gratiam habitualem, cum hoc diſcrimine, quod prior ſanctitas dicitur ſubſtantialis, & increata; poſterior verò accidentalis, & creata; ità Suarez, Vaſquez, Hurtado, Valentia, Raguſa, Lorca, Granado, Caſpenſis, Averſa, Beccanus, Amicus, Bonacina, Arriaga, Morandus, Baldius, Orlandus, Card. de Lugo, ac univerſa denique Recentiorum Schola.

Alia ſententia affirmat gratiam habitualem fuiſſe Chriſto 3
neceſſariam, ut humanitas illius ſanctificaretur, tùm quia eſſe ſanctum, & gratum Deo eſt effectus formalis gratiæ habitualis; tùm quia per ſolam unionem ad Verbum, ſecluſa gratia, ſancta non eſſet, cùm nec divinitas, nec Verbi perſonalitas poſſit eſſe cauſa formalis ſanctificans animam, quia non poteſt eſſe actus rei creatæ, forma autem ſanctificans formaliter inhærere debet formaliter naturæ ſanctificatæ; pro qua ſententia citantur Alenſis, D. Bonavent. Riccardus, Marſilius, Durandus, Paludanus, ac etiam noſter Scotus, quam proindè ſolent etiam ſequi Scotiſtæ, Faber in *3. diſ. 28.* Aretinus *3. diſt. 13. qu. 1. a. 1.* Rada *3. p. con. 4.* Bellutus *diſp. 10. qu. 1.* Gallus ibidem *prælud. un. diſp. 1.*